CONCIO
ET
DETERMINATIO
PRO
GRADU DOCTORATUS
In Sacrâ Theologiâ.

QUARUM

Prior In Templo B. Mariæ } *Oct.* 12 }
Altera in Scholis Theologicis } 13 } 1699.

CANTABRIGIÆ habita fuit

A *JOHANNE EDWARDS*,
S. T. P.

CANTABRIGIÆ,
TYPIS ACADEMICIS,
Impensis *Edmundi Jeffery*, Bibliopolæ
Cantabr. 1700.

Imprimatur.

THO. GREENE, Procan.
HUMF. GOWER, SS. Theol. Profess.
Margaretæ.
GUIL. SAYWELL, Coll. *Jesu* Præf.
JO. BALDERSTON, *Coll. Emman.*
Magist.

TRINITY COLLEGE
LIBRARY
CAMBRIDGE

ALMÆ MATRI
ACADEMIÆ
CANTABRIGIENSI.

HÆc qualiacunque Tentamina Theologica, ad tenebras utique privatas in posterum destinata, ni Viri aliquot severiores Sacræ Veritatis cultores (quibus proinde haud morem gerere piaculum esset) in publicam lucem fortè eduxissent, atque in vulgus prodire ea jussissent;

In debiti Honoris & Obſervantiæ Teſtimonium, eo quo par eſt affectu & cultu, inſcribit, dicat, conſecrátque;

Ineunte jam *Novo Seculo*, quod ut Orbi Chriſtiano felix fauſtúmque ſit precatur

J. E.

Concio ad Clerum
DE
Dæmonum Malorum
Existentia & Natura,
Paulò auctior quàm cùm pro ſuggeſtu habita fuit
In Templo B. Mariæ,
quod eſt
CANTABRIGIÆ.

ERRATA.

PAg. 16. Lin. 18. pro 20 lege 21. p. 22. l. 13. l. afficere. p. 23. l. 23. l. exploratam. p. 28. l. antepenult. l. aures. p. 48. marg. l. Martyri, Clementi, Origeni. p. 58. l. 11. l. dæmonas. p. 64. marg. l. μεμφθήκαμεν. p. 65. l. ult. ante & insere *Orione*. p. 67. l. 19. l. jussa. p. 115. l. 15. l. vegetabilibus. p. 127. l. penult. pro *in ea* l. *ea in*. p. 136. l. 23. post νυν adde δι. Et siqua sint alia σφάλματα, sive in Latino sive Græco sermone, orandus est *Lector* ut iis pro candore suo ignoscat; siquidem *Autori*, præ curis inopinatis, non vacavit ea colligere.

S. MARCI Cap. V°.

Commate 12°. ſic ſcriptum eſt,

Καὶ παρεκάλεσαν αὐτὸν πάντες οἱ δαίμονες, &c.

Et deprecabantur eum (ſc. Chriſtum) *omnes dæmones*, & quæ ſequuntur.

ERAT olim, & etiamnum extat hodie genus hominum, qui *Angelorum Malorum* ſeu *Dæmonum* exiſtentiam in dubium vocare, imò prorſus explodere auſi ſunt. Illam aperto ore & perfrictâ fronte negarunt *Democritus* & *Epicurus*, cum eorum ſequacibus. Quidam vel ex *Peripateticorum* ſcholâ, ut obſervavit Scriptor haud ignobilis, tales Spiritus reſpuiſſe viſi fuerant. Quinimò, quoſvis claſſis Angelicæ Spiritus (præter ſolos Orbium Cœleſtium agitatores, quos *Intelligentiarum* nomine adornavit) ſuſtulit ipſe *Ariſtoteles*,

qui omnem ſuam Philoſophiam à ſenſibus externis deprompſit. In eâdem ſententiâ fuit non incelebris illa apud Judæos *Sadducæorum* Secta, quam *neque Angelum neque Spiritum*, hoc eſt, ſubſtantiam à corpore ſeu materiâ diſtinctam, vel ſeparatam ſaltem, agnoviſſe legimus, 23 Act. 8. Malos dæmonas nullus agnoſcit *Salluſtius de Diis & Mundo*, at adversùs eos acriter diſputat Philoſophorum ille non infimus. Nullos eſſe Cacodæmonas contendit *Averroës*, inſignis ille ab *Arabiâ* ortus Philoſophus. Ejuſdem planè farinæ accepimus fuiſſe *Davidem* illum *Georgium*, qui apud *Belgas* & *Germanos* afflatu fanatico perculſus erat.

Nos quoque in ea tempora incidimus infelices, in quibus non tantùm Divinum Numen & Cœleſtes Angelos, ſed & malos Dæmonas eſſe quidam malè ſani & impii homunciones negare non erubeſcunt. Hanc camarinam nuper movit *Muggletoniana* turba & colluvies, nullos eſſe Diabolos clamans præter pravam & vitiatam

(ſi

(si placet) Rationem. *Hobbesii* quoque *Leviathan* adversùs omnes Spiritus Diabolicos (illis solùm demptis quos ipse suscitat) se pro virili erigit & insurgit, & mera esse *Phantasmata* (sic enim loqui amat) fingit, comminiscitur, vociferatur. Huic succenturiatus nuper accessit *quidam è Belgio exortus, vir non indoctus, qui in Tractatu cui Titulus *Mundus Incantatus*, omnimodam omnium Dæmonum existentiam ridet, cavillatur, ludibrio habet. Iisdem ferè vestigiis insistit †alter è Gente Belgicâ, prioris putà Scriptoris (si prior esset) proxeneta & pararius, qui in recèns edito libello, *De Origine & Progressu Idololatriæ*, quascunque de Spiritibus impuris historias exsibilat, & receptam de illis doctrinam non nisi Veterum *Chaldæorum*, superstitionibus deditorum, astutum figmentum esse astutus & mendax ipse fabulatur.

*D. Becker.

† *Anton. van Dale.*

En, Academici, veteres ac hodiernos *Sadducæos!* quibuscum tota *Atheorum* cohors amicissimè congruit: nam qui Divinum Numen,

iidem ipſi Infernales Spiritus acriter negant. Quare non intempeſtivum fore arbitror, Dilectiſſimi in CHRISTO Fratres, ſi perniciosum hoc dogma expendere, ſi exitialem hunc errorem vellicare & confodere, &, quantum in me ſitum eſt, debellare aggrediar, ac eſſe revera in rerum naturâ Malos Dæmonas, ſeu Spiritus Diabolicos clarè & liquidò evincam. Tales eſſe demonſtrabitur 1. Ex Obſeſſione corporum humanorum. 2. Ex Apparitionibus. 3. Ex Operationibus Magicis. 4. Et ultimò ex luculentis Sacræ Scripturæ teſtimoniis.

Primùm, Malos eſſe Dæmonas probatur ex violentâ corporum humanorum Obſeſſione. Nam δαιμονιζόμενοι, de quibus tam crebra fit mention in * Scriptis Evangelicis, ſunt miſeri iſti homines, qui ab impuris illis Spiritibus occupati vexatique fuerant. Cujus illuſtre eſt ſpecimen in loco qui jam præ manibus eſt: Servatori enim noſtro (ut refert S. Marcus in hoc ipſo capite) de navigiolo exeunti ſtatim obviam ibat homo ſpiritu immundo, imò

*Mat. 16. 19. 32. 12. 22. 28. 33. 5 *Marc. 15. & Luc. 2, 36.*

Dæmo-

Dæmoniorum legione exagitatus, qui vincula & catenas quibus toties alligatus est, facilè comminuit & dirupit, & *nemo poterat eum domare.* Domuit tamen JESUS, & universam dæmoniorum turbam illico ejecit, atque in immundum porcorum gregem (illis sic deprecantibus) jussit ut introeant. Ac utique plura dæmonum ejectionis (quæ fuit Christi benignitas) exempla passim occurrunt apud Evangelistas. Non equidem inficior δαιμονιζόμενον quandoque esse σεληνιαζόμενον, prout patet ex collatione noni S. Lucæ, v. 39. cum decimo septimo S. Matthæi, v. 15. sed jubet ratio sic locum hunc intelligere ut fateamur juvenem istum, de quibus verba facit Evangelista, revera a Malo Dæmone correptum fuisse: ita tamen, ut morbi istius quo laborabat paroxysmi, juxta Lunæ cursum & influxum, periodicâ (ut loquuntur) alternatione redierint. Epilepticum illum esse, vel id genus morbo vexatum (ut *Symptomata* à S. Lucâ, etiam & à S. Marco, 9 cap. 18 v. memorata ostendunt) idque sub certis revol-

ventis planetæ aſpectibus, nullus nego. At quo ideò jure neget quiſquam ab immundo ſpiritu non obſeſſum fuiſſe? Verùm, hoc potiùs dixeris, imò ſummâ cum ratione colligere fas eſt, turbulentum & importunum illud dæmonium anſam inde arripuiſſe, ſtatis illis temporibus, puerum illum miſellum torquendi cruciandíque. Judice enim acutiſſimo Grotio, * *Solent dæmones, quâ pollent ſcientiâ, etiam naturales cauſas ad ſuam vim adjungere: ita hic Dæmon ea tempora occupare ſolebat quibus cerebrum eſt infirmius, quod lunaribus intervallis contingere ſolet.* Vel potiùs, ſi mihi philoſophari liceat, ſtatus corporis ſic à dæmone affectus, diſpoſitio ſeu temperies ſic immutata fuit, ut Lunæ operationi obnoxia eſſet, & quaſi ſubjiceretur. Appoſitè ergo *Dæmonicum* & *Lunaticum* conjungit *Arabica* prædicti Matthæi loci Verſio, quæ ſic ſe habet, *Cum dæmone eſt* (h. e. dæmonio agitatur) *& in initiis pleniluniorum vehementer vexatus eſt.*

* In 17. *Mat.* 15.

Ecce

Ecce porro insignia hujusce Obsessûs exempla *Actorum* decimo sexto, consimili versu: & rursus, decimo nono ejusdem libri, commate 13. Et certè cùm Apostolus hominem incestuosum *Satanæ tradiderit in interitum carnis*, 1 Cor. 5. 5. pœnas & cruciatus corporis, quales Obsessis solent à spiritu nequam infligi, meritò intelligamus. Ad Ecclesiasticos Annales hìc jure provocamus, è quibus liquet in primis illis Ecclesiæ nascentis seculis ingentem esse numerum eorum qui *Energumeni* dicti sunt, hoc est, in quorum corpora penetrabant Dæmones; non sine divino consilio & moderamine, ut nempe mirandâ Spirituum illorum ejectione insignes redderentur Christiani, atque ipsa adeò Religio Christiana probatâ & verâ haberetur: nam hoc se instruunt argumento contra Paganos [a] *Justinus Martyr*, [b] *Irenæus*, [c] *Tertullianus*, [d] *Origenes*, [e] *Minutius Felix*, [f] *Cyprianus*: (proh quanti viri!) aliique veteres Scriptores & Patres. Quinetiam Medicinæ Magistri, qui variis morbidorum

[a] Dialog. cum Tryphone.
[b] Lib. 2. cap. 58.
[c] Apolog.
[d] Contra Celsum.
[e] In Octavio.
[f] De vanit. Idolor.

generibus interſunt, ultrò hìc fidem faciunt Obſervationibus ſuis in lucem editis: neque enim ullis autoribus niſi impuris iſtis dæmonibus Obſeſſiones aſcribi cenſent ipſi medicorum filii, & peritiſſimi omnium ſeculorum Philoſophi. Quin &, hariolari mihi ſi concedatur, nonnullos ex illis qui à Medicis *Maniaci* communiter dicuntur, Obſeſſis annumerandos eſſe putem.

Sed ut de Correptione Dæmonicâ ſtrictiùs dictâ & acceptâ totus diſſeram, ſic inſtituo argumentum; Divino Numini ſi horrendum hoc Phænomenon attribuas, næ cœlum inferis miſces, adeóque impium & prophanum, imò & abſurdum & ab omni ratione alienum te præbes, ſiquidem perquam notum eſt Dei nomine & ardenti S. TRIADIS invocatione miſerabiles illos dæmoniacos à nefandis ſuis inquilinis feliciter expediri. Et ſicut non à Deo, ſic nec ab Homine provenit iſta corporum Obſeſſio; ægrè enim dixeris, imò nè per ſomnium cogitatum eſt quenquam ſeipſum obſidere. Neque in *aliorum* hominum pote-

poteſtate ſitum eſſe putes; neminem enim uſpiam invenies, quamvis maximè invidum & malevolum, qui ſe tali vi & facultate imbutum eſſe jactavit. Reſtat igitur ut aut bonis aut malis Angelis cruciatus illi & tormenta attribuantur; verùm boni melioribus officiis gaudent, nec putandum eſt beatos illos ſpiritus humani generis carnificinâ refici, recreari, permulceri. Mali itaque Angeli, iíque ſoli dirum hoc opus aggrediuntur, & eâ quâ pollent nequitiâ perficiunt & abſolvunt. Quod & ipſi Dæmones nonnunquam faſſi ſunt, & ſe ſolos Actores in hâc Tragœdiâ lubentiſſimè agnovere. Quocirca hæc corporum humanorum Obſeſſio primum eſto Argumentum, quo Diabolorum exiſtentiam ſtabilimus.

Secundò, hoc exinde probatur quòd ſe hominibus interdum oſtendunt, quòd humanis oculis vel auribus pateſiunt, quòd vel viſu vel auditu innoteſcunt. Quamvis enim *Baſilius*, *Gregorii Nyſſenus* & *Nazianzenus*, *Epiphanius*, nec non *Chryſoſtomus*, *Hieronymus*, *Theodoretus* aliique

veteres Eccleſiæ Patres malis angelis (ſicut & bonis) corpora denegant; *Juſtinus* tamen *Martyr*, *Tertullianus*, *Origenes*, *Cyprianus*, cum aliis Platonicæ ſectæ Chriſtianis, corporea quædam vehicula ex aëre concinnata dæmonibus illis concedere non gravantur. Utcunque, ſi non propriis corporibus ſeu vehiculis induantur, poſſunt nihilominus alienis & adventitiis uti, ſive aſſeramus illos quandoque corpora Animalium, ſive vehicula ex ſpiſſo aëre fabrefacta pro libitu quandoque aſſumere dicamus. Sic in mundi primordio Satan ſe viſibilem & corporeum reddidit, cùm *Evam* allocutus eſt in Paradiſo, aſſumpto nimirum vivi Serpentis corpuſculo. Seſe *Sauli* Regi ad incitas redacto ſpectandum exhibuit infernus Dæmon, vehiculum ex aëre condenſato, Samuelis verò ſpecie, ſibi adaptando. Sic Tentator ille præſtò fuit in Eremo, & Servatorem noſtrum aggreſſus eſt, viſibili formâ, haud vero abſimile eſt, ſe ſiſtens. Non eſt enim quòd nuperi *Supplementi* * Autori aſſentiamur,

* *J. Clerico* in Suppl. ad *Cl. Hammondi* Paraphraſin &c. in *Matth.* 4 1.

tiamur, qui iſtos Satanæ inſultus merum eſſe *Phantaſma* ſeu *Somnium* ipſe ſomnians comminiſcitur. Cui adjicere licet quæ de Apparitionibus Malorum Angelorum ſancti Patres *Ambroſius*, *Chryſoſtomus*, *Auguſtinus* cæteríque Eccleſiæ Scriptores narrarunt, & quæ ipſe de ſeipſo *Lutherus* toties recordatus eſt. Poſſe oculis humanis ſpectari dæmonas, & reipſa ſpectari, non vulgaris notæ Exemplis firmat corroborátque *Alexander ab Alexandro*, in *Genialium Dierum* libris cedro planè digniſſimis. Et ſi fides adhibenda ſit *Paracelſo*, commercium habuit cum Spiritibus non modò Chymicis ſed infernalibus. Si ad *Indos* & *Americanos* appellemus, penè obruimur teſtimoniis, iiſque fide maximè dignis: præſertim de incolis *Braſilienſibus Maffeius* & reliqui Hiſtorici, tam Pontificii quàm Reformati, unanimi conſenſu perhibent quàm aſſiduè, quàm crebrò ſe populo iſti ſpectandos præbent Cacodæmones. Quid ergo dubitamus? Annon Cœleſtes Angelos ideo exiſtere facilè credimus,

mus, quia corporis oculis conſpecti fuerant, & homines ſuâ præſentiâ toties beatos reddidere? Quidni & Infernos Angelos eſſe credendum eſt, quoniam ſe hominum ſenſibus inſinuant, & ſub viſibili ſpecie, perhorridâ nimirum ſe oſtentant? Nam licèt *Angelorum lucis* (ut ait Apoſtolus) figuram aliquando ſimulant, & Cherubinicum ſplendorem mentiuntur; licèt * *meliorum dæmonum vultus induunt* (ut loquitur *Porphyrius*) ut plurimùm tamen formâ horrendâ & formidabili veſtiri ſolent, unde fortean ab Hebræis *Segnirim* appellantur, 17. Lev. 7. 2 Chron. 11. 15. hoc eſt, *horridi & terribiles*. Eſt autem ubi ſecùs hominibus occurſant, ac eorum conſpectui aut auribus ſe repræſentant; modò *Tibicinis Verſicoloris* formâ, ut in agris † Germanicis; modò *Tympaniſtæ* ad inſtar, ut cùm ædibus *Mompeſſonianis* non parum negotii faceſſerat Pantomimus Dæmon, ut refert D. *Glanvilus*, acris ingenii, penetrationis eximiæ, luculentæ fidei Vir, qui amicorum ſuaſu oſtentis iſtis adfuit oculatus

* ὥσπερ ὑποδύντες τὰ τῶν ἀλλων θεῶν πρόσωπα. De Abſtin. lib. 2.

† *Hammela Brunſwicorum.* Vide *Wier.* de Præſtig. dæmon. l. 1. c. 16. *Vergeſtan* Antiq. c. 3. *Heylin* Coſmograph. in Germ. & Tranſylvaniâ.

oculatus pariter ac auritus teſtis.

Tertiò, ex Operationibus Magicis dæmonum exiſtentia probatur. Scire ergo oportet triplicem eſſe Magiam: prima eſt *Naturalis*, quæ quidem nihil aliud eſt quàm Naturalis Philoſophia largâ Obſervationum & Experimentorum ſerie ditata, cumulata, exculta. Qualis erat mirifica illa *Alberti Magni*, *Baptiſtæ Portæ*, *Cardani*, *Cornelii Agrippæ*, utriuſque *Baconi* ſolertia: qualis etiam, ſùltis, *Greſhamenſium* noſtrorum peritia. Secundum genus Magiæ eſt *Artificiale*, quod vel *Mathematicum* vel *Præſtigioſum* eſt. Prius dicitur Magia θαυμαστοποιικὴ, quia ejus ſubſidio miranda quædam & ſtupenda opera procurantur, cujus utique generis erant *Archimedis* Sphæra Vitrea, *Archytæ* Columba Lignea, & mille aliæ curioſæ indolis & ingenii productiones, à Geometriâ, Arithmeticâ, Aſtronomiâ, à Magnete, à Pyrotechniâ, à Mechanicâ denique arte profectæ. Poſterius Magiæ Artificialis membrum eſt quo *Præſtigiæ* fiunt, hoc eſt, doloſæ illæ

mus, quia corporis oculis conſpecti fuerant, & homines ſuâ præſentiâ toties beatos reddidere? Quidni & Infernos Angelos eſſe credendum eſt, quoniam ſe hominum ſenſibus inſinuant, & ſub viſibili ſpecie, perhorridâ nimirum ſe oſtentant? Nam licèt *Angelorum lucis* (ut ait Apoſtolus) figuram aliquando ſimulant, & Cherubinicum ſplendorem mentiuntur; licèt * *meliorum dæmonum vultus induunt* (ut loquitur *Porphyrius*) ut plurimùm tamen formâ horrendâ & formidabili veſtiri ſolent, unde fortean ab Hebræis *Segnirim* appellantur, 17. Lev. 7. 2 Chron. 11. 15. hoc eſt, *horridi* & *terribiles*. Eſt autem ubi ſecùs hominibus occurſant, ac eorum conſpectui aut auribus ſe repræſentant; modò *Tibicinis Verſicoloris* formâ, ut in agris † Germanicis; modò *Tympaniſtæ* ad inſtar, ut cùm ædibus *Mompeſſonianis* non parum negotii faceſſerat Pantomimus Dæmon, ut refert D. *Glanvilus*, acris ingenii, penetrationis eximiæ, luculentæ fidei Vir, qui amicorum ſuaſu oſtentis iſtis adfuit oculatus

* ὥσπερ ὑποδύντες τῶ τῶν ἀμεινόνων θεῶν πρόσωπα. De Abſtin. lib. 2.

† *Hammela Brunſwicorum.* Vide *Wier.* de Præſtig. dæmon. l. 1. c. 16. *Vergeſtan* Antiq. c. 3. *Heylin* Coſmograph. in Germ. & Tranſylvaniâ.

oculatus pariter ac auritus teſtis.

Tertiò, ex Operationibus Magicis dæmonum exiſtentia probatur. Scire ergo oportet triplicem eſſe Magiam: prima eſt *Naturalis*, quæ quidem nihil aliud eſt quàm Naturalis Philoſophia largâ Obſervationum & Experimentorum ſerie ditata, cumulata, exculta. Qualis erat mirifica illa *Alberti Magni*, *Baptiſtæ Portæ*, *Cardani*, *Cornelii Agrippæ*, utriuſque *Baconi* ſolertia: qualis etiam, ſùltis, *Greſhamenſium* noſtrorum peritia. Secundum genus Magiæ eſt *Artificiale*, quod vel *Mathematicum* vel *Præſtigioſum* eſt. Prius dicitur Magia θαυμαστοποιικὴ, quia ejus ſubſidio miranda quædam & ſtupenda opera procurantur, cujus utique generis erant *Archimedis* Sphæra Vitrea, *Archytæ* Columba Lignea, & mille aliæ curioſæ indolis & ingenii productiones, à Geometriâ, Arithmeticâ, Aſtronomiâ, à Magnete, à Pyrotechniâ, à Mechanicâ denique arte profectæ. Poſterius Magiæ Artificialis membrum eſt quo *Præſtigiæ* fiunt, hoc eſt, doloſæ illæ

illæ artes quæ manuum maximè agilitate conſtant, quibus haud rarò oculorum acies præſtringitur. Hæ licèt reapſe ſint Circulatorum & Agyrtarum mera vaframenta, apud imperitum vulgus Magicæ ſonant.

Tertium & veriſſimum Magiæ genus illud eſt quod *Diabolicum* audit, quippe Dæmonum Malorum ope efficitur. Atque hoc eſt de quo impræſentiarum diſceptare lubet. Dæmonica hæc Magia bifariam diſpeſcitur, vel enim *Ludicra* eſt vel *Seria*. Ad priorem attinent nugæ iſtæ & ineptiæ quæ certis dæmonibus oblectamento eſſe ſolent. Frivoli enim ſunt quidam dæmones & nugigeruli; qualis erat ſpiritus iſte Diabolicus, quo *Martinus* ille *Lutherus* infeſtari ſolitus eſt: nec aliter feſtivum & jocularem illum dæmonem abigere & fugare valuit, quàm ſtrenuè jocando & deridendo. Talis fuit ſpiritus ille *Matiſconenſis*, qui mirum in modum hilarem & facetum (non minùs quàm Nocivum) ſe præbuerat, ut D. *Perreaudius*, è Sacro Ordine Theologus, Evangelii Præ-

co,

co, pietate insignis, famæ integer, propriâque fretus experientiâ refert in Narratione quam fideliter texuit. Dic sodes, Sceptice, cur hæres, cur fidem cohibes, cùm Narrationem istam è linguâ Gallicâ in vernaculam nostram traducere, simul & comprobare non gravatus est D. *Molinæus*, indubitatæ fidei Vir: cui præfari dignatus est Clarissimus noster *Boilius*, nuperum Religionis & Gentis nostræ decus & ornamentum, itidemque nos certiores ipse reddidit de prædictæ Narrationis fide ac autoritate; adeò ut de veritate istius historiæ nullus sit dubitandi, nullus ambigendi locus, nedum de indole quorundam malè feriatorum Dæmunculorum, quibus volupe est cum adstantibus lepidè & jucundè confabulari, &, ad levandam fortasse pœnarum & cruciatuum suorum acerbitatem, sannas & scommata affectare, atque tricis & gerris, ludis & jocis se aliosque excipere. Est ubi ludicra hæc dæmonia Græcè & Latinè ineptiunt, ut perhibent * Scriptores optimæ fidei. Interdum Grammaticastros se venditant

* *Melanchton.* Epist. ad *Hubert. Languet.* Lib. 2. Ep. 572. *Fernel.* de abdit. rer. causis, l. 2. c. 6. *Ragusius* de Divinatione, lib. 2.

ditant ludibundi hi minorum gentium dæmones, quasi verò sub *Prisciani* ferulâ tyrocinium peregisse viderentur. Aliquando Criticorum ritu loquentium dialectum castigant, quasi Inferi *Solæcismos* reprobarent, & Gehenna à *Barbarie* abhorreret. Atqui maximâ ex parte seriò & omni joco procul, imò cum magno hominum periculo, imperium suum exercere solent nefarii isti spiritus.

Ad secundum igitur Magiæ Diabolicæ genus, quod *Serium* meritò dixi, transeundum est. Atque hæc Magia è diversis membris conflata est. Primum est quod ad *Astrologiam* spectat, ut cùm *Teraphim* (de quibus legimus 20 Ezek. 21. 10. Zach. 21.) dæmoni cuidam sub certâ Stellarum positione erigerentur, ut ex *Trismegisto* & *Jamblico* luculenter probat literaturâ singulari & propè incredibili insignis Cl. * Seldenus. Hæc idola (ut ex Patribus, Scriptoribus Ethnicis, Judæorum Magistris, nec non optimæ notæ recentioribus ostendit Clarissimus noster *Spencerus*, qui inter eruditissimos hujus seculi Scriptores nu-

De *Dis* Syr. Syntag. 1. cap. 2.

numerari maximè meruit) fuerunt * *imagunculæ Spiritûs cujusdam impuri intus latitantis præsentiâ animatæ;* unde vocales & garrulæ evaſerunt, & reſponſa de futuris reddiderunt. Quanquam (ut nihil diſſimulem) doctiſſimi hujus Viri ſententiæ calculum meum adjicere non auſim, cùm Ethnicorum *Teraphim* & Judæorum *Urim* eaſdem facit icunculas. Hoc enim divino Inſtituto prorſus repugnat, quo omnia Simulachra (ſeu parvula ſeu majora) prohibentur, & omnes Ritus Ethnici, ſcilicet Idololatrici, damnantur. Non facilè equidem crediderim ſacra illa in Pontificis Pectorali Symbola ſeu Characteres, qui *Urim* vocantur, fuiſſe Imagines fatidicas in hominis formam effigiatas, quæ quidem è mediâ Idololatriâ hauſtæ erant, atque ab ipſo dæmone prodierant. Ecquis putaverit Imaginum cultui in ſacris indulſiſſe Deum? ecquis conceſſerit Supremum Numen ab Ethnicis Idololatriæ deditis ritum tam nefandum emendicâſſe, & in ſacram ſuam Re-

* Diſſert. de Urim & Thummim, cap. 4. Sect. 4. & 11.

ligionem cooptâsse? Hoc, ut Divinâ Majestate indignum, si quid ipse video, respuendum est, ut † alibi fusè enarravi. Atqui in callem jam redeo. Planetarum aspectus & motus Divinationi Magicæ inserviisse fatetur *Porphyrius* ab *Eusebio* citatus, *Præparationis Evangelicæ* l. 4°, nec non *Plutarchus* in tractatu *de Defectu Oraculorum.* Luna præcipuè à magis usurpata est ad nefandam illam artem exercendam, atque maximè in rebus Amatoriis, quia Lunam putarant βραβεύειν τὰ ἐρωτικὰ, ut loquitur *Plutarchus* de *Iside* & *Osiride.*

† Dissert. in 28. Exod. 30. Hist. Var. Relig. Oeconom. cap. 9. p. 278, &c.

Deinde, *Oraculis* etiam Ethnicis dæmones præsidebant, ut constat ex præfatis Scriptoribus, scilicet *Eusebio* & *Plutarcho* in locis antea memoratis, & ex *Porphyrio de Dæmonibus*, & *Jamblicho de Mysteriis.* Unde *non omnino absque dæmonum participatu* transacta fuisse Oracula ingenuè fatetur * *Cœlius Rhodiginus*, quamvis in priori ejusdem capitis parte illud vix credidisse videatur. Non gravatim

* Lect. Antiq. l. 2. c. 12.

à

à Gentilibus quibuſdam agnoſcitur Sacerdotes, Oraculorum illorum miniſtros, Magicis artibus non leviter imbutos, & dæmonico furore percitos fuiſſe; cujus nobis argumento & indicio eſſe poſſint oculi, ora, pectora, totaque corpora rabie pluſquam humanâ exagitata; quamvis non negaſſent, puto, ipſos Sacerdotes fuiſſe aliquando Dæmonum loco, & quæſtûs gratiâ reſponſa petentibus aptaſſe.

Denuò, Divinatoribus Magicis annumerari debent ἐγγαστρίμυθοι, qui nempe non ex ore, ſed ex inteſtinis vocem ederent & verba funderent. Qualis forſan erat puella illa *Philippica* (nam utrique ſexui communis eſt hæc Magia) habens πνεῦμα πύθωνος, 16 *Act.* commate parili: Illi enim Vaticinatores Magici dicti ſunt olim * *Pythones.* Congruenter de hâc adoleſcentulâ narratur quòd *quæſtum magnum præſtabat dominis ſuis divinando*, id eſt, futura ope cujuſdam dæmonis prædicendo. Nam Spiritus illi

* *Plutarch.* de Orac. defectu.

execrabiles, Verum Deum æmulantes, qui per Sacra Oracula & Prophetas ſuos loquutus eſt, futurarum rerum præſagia & vaticinia ſimulabant. Porrò, Divinatio erat per *Necromantiam* (ſic enim unico verbo exprimi ſolet) quando ſcilicet arte diabolicâ defunctorum animæ ab inferis ſunt evocatæ. Hunc ritum Magicum apud Gentiles non rarenter obtinuiſſe teſtatur eorum hiſtoria: *Pauſanias Heracleam* † confugit, ſcil. ad Manium Oraculum. Hanc * mortuorum divinationem in remotiſſimis Aulæ ſuæ penetralibus exercuit *Julianus* Imperator. Hujus olim inſaniæ, veluti moris uſitati, fit mentio 8 Eſai. 19. Et veriſimile eſt (ſi hâc in re liceat mihi conjecturam facere) ideo locum ſepulturæ *Moſis* occultum eſſe, nè quis tentaret (quamvis incaſsùm) è Magorum ac Veneficorum tribu tantum Virum à mortuis ciere. Cæterùm, quicquid hâc de re ſit, pro certo habemus ex Pythoniſſæ *Endoricæ* hiſtoriâ 1 Sam. 28. moris tunc fuiſſe ut Ceremoniis quibuſdam

† Κατέφυγε πρὸς τὸ νεκυομαντεῖον. *Plutarch.* in vitâ *Cimonis.*

* Ψυχαγωγίαν & μαντείαν, *Greg. Naz.* contra *Julian.* Orat. 1.

dam Magicis ab Orco manes educerent, accitósque de futuris sciscitarentur; nam Venefica illa, etiamsi non *Samuelem*, utpote Deo imprimis charum, alium tamen excitavit, idque auxilio Spirituum infernalium. Unde hæc habet doctissimus *Josephus*, † *Est genus* (inquit) *ventriloquorum quod, evocatis defunctorum animabus, per eas futura prænuntiat sciscitantibus.* Tales ergo esse spiritus nihil vereor asseverare.

† Τὸ γὰρ τῶν ἐνγαστριμύθων γένος ἀνάγειν τὰς νεκρῶν ψυχὰς, δι' αὐτῶν προλέγειν τοῖς δεομένοις τὰ ἀποβησόμενα. Antiq. Jud. l. 7. c. 15.

Sed, ut ad rem propiùs accedam, ecce majores ad huc & magis visibiles Dæmonum Operationes, unde eorum existentia facilè apparet! Inter sequiores illos Veterum Gentilium deastros quidam ἀπεπομπαῖοι, ἀποτρόπαμοι, ἀλεξίκακοι, meritò sunt appellati, quippe penès illos & eorum mystas erat mala quædam (si ita libuerat) averruncare, etiam & ægrotantibus remedium afferre, & integram sanitatem characteribus nescio quibus, symbolis, carminibus, herbis restituere. * *Theodoreto* placet רופאים *medicos*, quos consuluit Rex

* Quæst. 48. in 3. Reg.

Aſa (ut ſcilicet podagram ei relevarent) fuiſſe Incantatores ſeu Magos, qui ope quorundam dæmonum morbis medicinam adhibebant. At raro atque obiter ſolummodo *Æſculapium* agit Dæmon, ſiquidem hominum noxam & perniciem maximè vult. In hoc gnaviter incumbit, hoc efficere pro virili annititur. Quòd verò penès illum eſt quovis morborum genere humana corpora, etiam & piorum & Deo dilectiſſimorum, efficere, luculentum ejus rei exemplum eſt Heros Arabicus, *Satan percuſſit Job ulcere peſſimo à plantâ pedis uſque ad verticem ejus*, 1 Job. 7. Nec mulier illa ſilentio prætereunda eſt quæ habuit πνεῦμα ἀσθενείας, 13 Luc. 11. hoc eſt dæmonio laborabat quod infirmitates ac morbos illi infligeret: quapropter inquit Servator noſter, commate decimo ſexto, *alligavit eam Satanas*, i. e. corporeæ infirmitatis vinculo conſtrixit malus dæmon. Unde *inclinata erat, nec omnino poterat ſurſum reſpicere*, v. 11. quibus verbis, ut opinor, particulare morbi ejus genus indi-

indigitat *Lucas* Medicus, mulierculæ nempe ſpinam (ut vocant Anatomici) antea erectam, corporis convulſione, hoc eſt inordinato nervorum & muſculorum motu ita contorſit & inflexit Spiritus malignus, ut in terram prorſus incurvaretur, nec caput attollere potis eſſet fœmina miſella. Quidam morbis afflicti, *à diabolo opprimi* dicuntur, 10 Act. 38. unde conſtat in ejus poteſtate ſitum eſſe firmitatem & vigorem corporis labefactare, adverſam valetudinem, & omnimodam debilitatem & languorem immittere. Quod lubentiſſimè agnoſcit inter Ethnicos Porphyrius *de Abſtinentia*, inter Chriſtianos *Minutius Felix in Octavio*, ſicut & *Pſellus* de *Operationibus dæmonum*. *Eorum vim in corpora humana certis experimentis exploratum eſſe* fatetur *Guilielmus Ader*, de *Morbis Evangelicis*, unà cum † aliis *Æſculapii* filiis. Obſervavit * Sennertus, limati judicii Medicus, *dæmonem ſe miſcere cum corporis intemperie*; *& fortè hoc*

† *Anton. Beneven.* de abditis morbor. cauſis, c. 26. *Anir. Laurent.* de Strumis, lib. 1. c. 9. *Jan. Duraſtant.* Problem. *Raguſei.* de Divinat. l. 2. *Zacut. Luſitan.* Prax. Med. admirand. *Theod. Mayern* Obſervation. * De Symptomat. Senſuum externorum, l. 1. c. 15.

ſæpiùs accidit (ait ille) *quàm vulgò creditur.* Præterea, penès eſt improbos Spiritus non ſolùm morbos laceſſere, ſed aërem turbare, procellas ciere, turbinem & tempeſtatem concitare, domos funditus evertere, ignem de cœlo deducere, eóque animalia quævis conſumere, ut horribili patet exemplo, 1 Job. 16 & ſequentibus verſiculis. Poſſunt etiam corpora ex uno in alterum locum magno impetu tranſferre, atque è terrâ quàm celerrimè in ſublime elevare, ſic ſuffragante S. Matthæo, cap. 4. v. 5. *Arripuit eum Satanas in ſanctam civitatem, & ſtatuit eum ſuper pinnaculum templi:* & poſtea commate octavo, *aſſumpſit eum in montem valde excelſum.* Quin & teſtatur veterum & recentiorum fide digniſſimorum hiſtoria ſolere dæmonas, odio quo flagrant in homines acerbiſſimo & implacabili, tumultus excitare, loca turbare & infeſta reddere (quod paulò ante breviter attigi) mortales moleſtiâ afficere; quod noctu fit potiùs quàm interdiu, quia Tenebræ terrorem

rorem augent, magiſque trementium animos percellunt. Sed mihi temperabo, quandoquidem Concionem, non Tractatum hodie meditor. Ex his quæ diximus deprehendi poteſt quàm vana ſit eorum opinatio qui putant Spiritus malos, idiomate *Hobbiano*, Phantaſmata eſſe.

Denique, ex iis quæ de *Sagis* & *Veneficis* traduntur, tales eſſe dæmonas perſpicuum eſt. Nam teſte *Porphyrio*, qui impios Ethnicorum ritus haud prorſus ignorabat, † *Omnis faſcinatio per adverſarias iſtas poteſtates peragitur.* Cui concinit Chriſtiani nominis Scriptor, judex ſanè haud inodoneus, juxta quem * *Venefici & Magi non tantùm dæmonas ſciunt, ſed etiam quicquid mirabile edunt, per dæmonas faciunt.* Atque hoc plerunque fundatur in Pacto quod ſolenniter ineunt cum ſpiritibus illis reprobis; ut amant certè hi ſpiritus Confederationes iſtas ſancire. Hoc impensè voluit Satan, cùm Servatorem noſtrum adortus eſt; nam

† Ὅλως μὲν τοι τὸ ἐναντίων [δαιμόνων] πᾶσα ἡ πάσα γοητεία τελεῖται. De Abſtinent. l. 2. §. 41.

* Minut. Fel.

oſtendit ei omnes mundi ditiones & regna, cum eorum gloriâ & ſplendore, & tunc ſic affatus eſt, *Hæc omnia tibi dabo, ſi cadens adoraveris me*, 4 Matth. 8, 9. En! Pactum & Stipulationem urget malus dæmon, quod indicio nobis eſt illum Fœdus percutiendo nonnullos in familiaritatem ſecum admittere conſueviſſe, atque iſtoc modo fortiùs ſibi obſtringere. Idem pluſquam innuit impia illa Judæorum de Chriſto cenſura, *Hic ejicit dæmones non niſi per Beelzebub principem dæmoniorum*, 12 Mat. 24: ubi ſupponitur magos & veneficos (illis enim hic accenſetur Servator noſter) cum Dæmonibus fœdus inire, atque arctam neceſſitudinem & amicitiam colere, ac ex compacto agere. Hinc miranda Magiæ Diabolicæ geſta, quibus omnium ætatum annales ſcatent. Hinc Magorum *Egyptiorum* (inter quos primas tenuere *Jannes* & *Jambres*) *Balaami*, *Manaſſis* Incantationes: hinc *Zoroaſtris*, *Pythagoræ*, *Apollonii Tyanæi*, *Neronis*, *Heliogabali*, *Juliani* Apoſtatæ Veneficia: hinc Pſeudo-

Pſeudoprophetarum & Hæreticorum quorundam, ut *Simonis* illius *Samaritani*, 8 Act. 9, *Barjeſu* (cui & nomen erat *Elymas*, quod *Magum* Arabicè ſonat) 13 Act. 6, 8. *Carpocratis*, *Menandri*, *Priſcillianiſtarum*, *Ophitarum* Incantamenta ab *Irenæo*, *Juſtino Martyre*, *Tertulliano*, *Epiphanio*, *Theodoreto* commemorata. Imò perhibet eruditione juxta ac pietate celebris Cl. *Lightfoot*, Antiquitatum præſertim Judaicarum callentiſſimus, † primores *Judæorum*, ipſóſque magni *Synedrii* Seniores Magicæ arti operam dediſſe. Celeberrimos *Rabbinos* veneficium olim exercuiſſe teſtatur profundæ literaturæ Scriptor, *Joh. Wagenſeil*, in Annotationibus ſuis in *Sota*. Inſuper, in **Codice* Imperiali leges extant contra *Maleficos*, *Magos*, *Chaldæos*, *Divinatores*, *Magicis artibus accinctos*, *Maleficiorum labe pollutos*, *& contra ſalutem hominum molitos*. Etiam & *Sacri Canones* anathemate feriunt ‡ *Incantatores omnes & incantationibus ſervientes*: ibidemque *Ariolos*, *Magos*, *Maleficos damnant*.

† Hor. Hebr. in 24 M. t. 24.

* Lib. 9. Tit. 18.

‡ Decret. 2. pars. Cauſ. 26. qu. 5. cap. 1, 2, &c.

Ut

Ut taceam recentiora de Veneficis & eorum Pactis monumenta à *Cardano*, *Olao Magno*, *Sprengero*, *Remigio*, *Bodino*, *Del Rio*, *Caſaubono*, atque à noſtratibus *Glanvilo*, *Moro*, *Baxtero* fideliter & diligenter literis commiſſa. Quibus vel leviter conſultis, *Wierus*, qui doctrinam Veneficarum explodit, ſtatim deridebitur, ſicut & *Epiſcopius*, qui omnem confederationem diabolicam, ſive expreſſam ſive tacitam pernegat, nec non *Scotus* & *Webſterus* noſtrates, qui cunctas faſcinationes & veneficia *Vulgaris Erroris* titulo dehoneſtant, & meras impoſturas eſſe garriunt, blaterant, balbutiunt. Quod quàm evanidum ſit, atque infrunitum ſapiat, ex cunctis modò allatis, & in medium adductis apertè conſtat.

Sed quorſum hæc? inquies: Cur Obſeſſionibus, Apparitionibus, Ædibus infeſtatis, Magicis Operibus, Sagarum & Veneficarum incantamentis, & Pactis Dæmoniacis aure noſtras fatigare non deſinis? Fruſtra in nos Dæmonas tuos obtrudis, dum

dum incerta ex incertis probare, dubia ex dubiis elicere conaris. Nam iſta quæ narras æquè dubia & infirma ſunt ac ipſa Dæmonia; quare de his doctrinam nequeunt firmiorem reddere.

Cui multa repono; quorum hoc primum eſto, nempe probè incedere (quicquid iſti eſſutiunt) Argumentum noſtrum, quia Cauſam per Effectum demonſtrat. Opera illa de quibus ſermo fuit, ſunt Signa & Judicia, quibus deprehendi poteſt revera eſſe Dæmonas: nam præterquam quòd humanas vires longè ſuperant, nemini niſi nefario Dæmoni tribui poſſunt, ſi penitiùs ea perpendamus. Cuivis perſpicaci & cordato manifeſtum eſt à Spiritibus, iiſque malis illa profluxiſſe, ut ab Efficiente Effectus; quocirca ab illis divelli & ſejungi nequeunt. Quâ de causâ hæc ſimul tractavi, ac ſatis (ut opinor) pro hujus loci & inſtituti ratione. Conſtat itaque me Argumentum circa *Dæmonas* non perperam inſtituiſſe, verùm, dum Concionatoris

toris munus obeo, Logici partes impleviſſe, cùm ſcilicet ab Effectis ad Cauſam, ab Operibus ad Autorem ritè ratiocinatus fui.

Denuò repono, vehementer id negans, nimirum eſſe *incerta* & *dubia* quæ protuli. Non quaſi inficier confictas eſſe plurimas de *Veneficis* & *Magis*, necnon de *Apparitionibus* hiſtoriolas, tales profectò quæ fidem omnem ſuperant: attamen omnes, illarum causâ, mendacii arguere deridiculum eſſet. Lubentiſſimè detur falſas eſſe pleráſque de Obſeſſis, de Ariolis narratiunculas; at non propterea cunctæ ſunt repudiandæ. In multis nos falli haud diffiteor, alia verò omni fuco & fraude vacare non dubito. Sunt narrationes quæ idoneos Autores habent, ſunt facta in quorum notitiam perfacilè veniat quiſquam, talia quæ bonâ fide retulere viri honeſti, talia quæ oculis auribúſque ipſi ſenſerint. Hæc ſunt indubitatæ fidei, & in ſuſpicionem venire non poſſunt. Non is ſum qui Autor cuivis eſſem ut temerè & levi

levi de causâ assensum præberet, aut qualescunque fabulas à rumigerulis & locutuleiis undecunque collectas confestim admitteret; hoc enim summæ ineptiæ esset. Verùm id tenendum, ut sine delectu quidvis credere, levitatis est; sic nihil, pertinaciæ. Omnia sine discrimine amplecti, temerarios nos arguit; cuncta verò rejicere & diffiare, contumaces & stupidos. Sunt enim (ut modò dixi) historiæ & narrationes quas tutò credere possumus, siquidem res perhibent haud fictas, aut dolo malo perpetratas, sed quæ rerum ipsarum evidentiâ fidem faciunt, & testibus fulciuntur omni exceptione majoribus. Ejusmodi sunt ea quæ de *Dæmoniacis*, de *Apparitionibus*, de *Magicis Operibus* attuli, quæ non levi auditiunculæ aut rumusculo debentur, sed à probatæ fidei testibus dimanarunt, adeoque à viris nasutissimis comprobata sunt. Hâc in re (uti accepistis modò) à nobis stant Imperatores & Patres, Codex Mosaicus, Evangelicus, Justinianæus. Nobis adstipulantur Ethnici, Judæi,

dæi, Chriſtiani; nobis Theologi, Medici, Philoſophi, quà antiqui, quà neoterici. Denique partes noſtras tuentur omnigenæ Hiſtoriæ, ſeu vetuſtate venerabiles, ſeu novitate illuſtres. Quotus ideo quiſque eſt hominum cordatorum, qui nos dubia ex dubiis haurire, incerta ex incertis probare inſulſiſſimè ogganniat?

Id præterea obſervatu apprimè dignum exiſtimo, iſtos homunciones, qui Credulitatem (ut vocant) circa Dæmonas, & eorum opera damnant, eſſe ipſos nihilominus admodum credulos, &, quoties ſibi viſum fuerit, fidei nimis prodigos. Narrationes quaſcunque raras & inauditas ad *Corpuſcula* ſpectantes facillimè & ambabus ulnis amplexantur. Quibuſvis rumoribus inhiant, quævis Experimenta aucupantur, & è vulgo aviditſimè arripiunt. Tam inſana eſt eorum Credulitas, ut vel doloſæ Ruſticorum verſutiæ & ludificationi, qui ficta ſecum Experimenta Magiſtris hiſce apportarunt, obnoxios

noxios ſe aliquando reddiderint. Si de *Dente Aureo*, de *Nive Rubrâ*, de *Maculâ* in *Jove* (etiam priuſquam apparuerat) annuntiatum ſit, aut ſi fortean de *Ovis Piloſis* fabulam conficias, aures ſtatim erigit hæc Philoſophantium gens, & ſupra modum ſe credulam & facilem exhibet. Sed quoties de Subſtantiis *Incorporeis*, de Dæmonibus, de Apparitionibus, de Veneficis agitur, ſurdeſcunt illico, & fidem omnem narranti detrahere audent. Unde nemini obſcurum eſſe poteſt quòd iſti mortales pro arbitrio & lubitu ſuo credunt, aut fidem cohibent.

Sed preſſiùs agendum eſt cum cavillatoribus noſtris, iis præcipuè qui *Pravorum Scepticorum* apud nos hodie ducunt familiam. Non mirandum eſt quòd ægrè ea credunt quæ nolunt. Nimirum illorum intereſt dæmonas eſſe placabiles & benignos: unde neutiquam his attribuenda opera illa Noxia clamant. Sed maximè è re ſuâ eſt nullos omnino eſſe dæmonas, nè ali-

quando fortè tractabiles eſſe deſinerent: quoniam igitur iſtos ex rerum naturâ exterminare non valent, proximum illi eſt non credere eos eſſe, & quæcunque de eorum operationibus traduntur, aniles eſſe fabulas exiſtimare. Non aliunde manavit (ut vereor) hodiernus qui ubique debacchatur *Sadduciſmus*; nam, ſi liberè fari liceat, qui omnes de Apparitionibus, de Veneficis, de Dæmoniacis hiſtorias reſpuunt, valdè ſuſpicor eſſe è *Sadducæorum* Tribu. Id utique agunt ut Spiritibus in ſolidum nuntium remitterent, & vulgò receptum errorem (ita enim illis audit) ex hominum animis radicitus evellerent. Spiritus velut res commentitias rident, & pro figmentis habent: meras eſſe larvas & puerorum terricula, imo nihil eſſe præter Nomen prorſus inane volunt iſti magiſtelli. Plebei & vulgaris ingenii eſt, animique planè anguſti (cum Pomponatio & Vanino, & ejuſce furfuris mortalibus aïunt) commune de *Dæmonibus* dogma amplexari. Imò *Sacerdotum* (ut loquuntur)

quuntur) *aſtutiæ* & *vafritiæ* cunctas de Spiritibus hiſtorias tribuunt hi boni viri. Ex hoc fonte eſt quòd hiſtoriarum iſtarum fidem elevare ſummâ vi nituntur; & ſubleſtas eſſe, imò fictas & ementitas prædicant. Quin etiam (non incognita loquor) falſas narratiunculas cudendas apprime curant, ut eâ ratione veras eliminarent: abſurdas nonnunquam comminiſcuntur, ut reliquas omnes incertas eo pacto redderent. Ecce homines! Ut Deo Optimo Maximo vix aut nè vix quidem Eventus Miraculoſos, verùm omnia Mechanicis legibus & Naturæ, aſcribere ſolent; ſic haud diſpari ſorte nullis operibus *Dæmonas* interſerere volunt, ſed vim Materiæ pro dæmone deóque habent.

Ita profectò eſt, Academici; Philoſophus hodie vix audit qui non itidem eſt ſummæ Incredulitatis & Dubitationis magiſter, potiſſimùm circa omne genus Spirituum. Unde tam ſcrupuloſæ, tam delicatæ ſunt Nuperorum auriculæ,

ut nihil quamvis veriſſimum de iſtâ rerum claſſe accipere velint. At quid hoc rei ſit, ecquis non videt? Cui non ſubolet quid illi viri nimiâ ſuâ Incredulitate, ſeu potiùs Infidelitate meditantur? Scilicet toti ſapiunt, toti ſpirant *Scepticiſmum*; quem eſſe religioni quàm maximè inimicum nemo neſcit ſanus. Nullus pejor eſt animorum morbus quàm Ἀφασιαληψία, nulla major peſtis quàm *Pyrrhoniſmus*. Per hoc oſtium ſubingrediuntur hodie peſſima Dogmata: &, ſi quod intimè ſentio eloqui fas ſit, perexiguum eſſe *Scepticum* inter & *Atheum* intervallum ſemper putaram. Atque ſic tandem, Auditores, gliſcentis nunc temporis Mali & indies invaleſcentis fontem aperui; & ſtylo paulò liberiore quid ſit in causâ oſtendi, cur noſtræ ætatis homines hiſtoriis iſtis autoritatem detrahunt, cur illas contemptim prætereunt, aut oculis animiſque averſis intuentur, cur poſthabitâ omnium Narrationum fide, Dæmonum exiſtentiam in dubium vocant, atque omnia eò ſpectantia Argumenta inſubidè aſpernantur,

tur, etiamſi minimè Precaria & Incerta ſint, quod nunc contendo. Nam (ut in pauca rem conferam) totum huc redit, ſunt Dæmoniaci, ſunt Magi, ſunt Magicæ Operationes, ſunt Venefici & Veneficia, ergò ſunt Mali Angeli ſive Dæmones.

Ultimò, probatur hoc ex Sacræ *Scripturæ* teſtimoniis. Nam quanquam ad hanc jamdudum ſæpe provocavi (ut mihi teſtes eſtis) nunc tamen deditâ operâ particulariùs & explicatiùs Spirituum illorum impurorum naturam & conditionem è Sacro volumine enarrabo. Primò, ex hoc fonte Spirituum illorum *Nomina* & *Titulos* (nam ab illis exordiemur, quoniam de Dæmonum naturâ & ingenio certiores nos facient) derivamus. Generale iis Nomen in veteri Teſtamento, ſicut & in Novo, (ubi ſæpiùs occurrit) *Satan* eſt; quod juxta duplicem denotationem verbi *Satan*, i. e. *adverſari* & *accuſare*, duplicem ſortitur ſignificationem: cùm enim Sacra pagina impurum

dæmonem *Satanam* vocat, *hoſtem* & *delatorem* eo nomine appellat, ut inde illius genius & indoles clariùs nobis innoteſcant. Primò *adverſarii* partes agit, hoſtico nos furore perſequitur, & interitum noſtrum ſummopere molitur, immane quantum machinatur: deinde, poſtquam delictis nos Divinæ Majeſtati obnoxios reddidit, incuſat, poſtulat, culpam derepente & reatum noſtum auget, aggerit, aggravat jactabundus; nos miſerè fugillat & objurgat rabularum deterrimus, balatronum & vitilitigatorum longè peſſimus. Hæc duo Diabolicam naturam ad vivum exprimunt: quapropter iſtud nomen *Satan* apud omnes populos, *Chriſtianos* putà, *Judæos*, *Turcas*, *Arabas*, *Saracenos*, & apud quaſvis gentes (exceptis duntaxat *Paganis*) invaluit.

In Novo autem Teſtamento, Catholicum ſeu Commune impiorum dæmonum Nomen eſt διάβολος, i. e. *accuſator* ſeu *calumniator*, quod reſpondet Hebræo *Satan*; atque ideo

ideo hoc posterius vocabulum à LXX Senioribus διάβολος redditur: unde hæc vox Græca à Græcanicis Ecclesiæ Scriptoribus, sicut & *diabolus* à Latinis, communiter usurpatur pro scelestis istis gehennæ spiritibus; etsi apud Autores Ethnicos & Gentiles frustra eam quæras. Ejusdem denotationis est *Ojeb*, *hostis*, in Cantu Davidico 7. v. 5. & ὁ κατήγορος, *accusator ille*, 12 Apoc. 10. & ὁ ἀντίδικος, *actor* & *adversarius*, quasi in foro, 1 Pet. 5. 8. & ὁ ἐχθρὸς, *ille inimicus*, 13 Mat. 39.

Et ut alias Appellationes (quales sunt *Ob*, *Belial*, *Mammon*, *Abaddon*, *Apollyon*, &c.) quibus utique Malorum Dæmonum natura graphicè depingitur, prætermittam, iis præterea *Deorum* nomen adscribitur, 1 Sam. 28. 13. *Deos vidi*, inquit more Ethnico mulier *Pythonica*, *de terrâ ascendentes*, inferos scilicet deos, h. e. dæmonas. Eodem cognomine notantur 12 Deut. 31, & alibi, quia nimirum (ut putant nonnulli) ab Ethnicis idololatriæ deditis *Dii* habiti sunt, &

ut tales adorati. Quod teſtatur *Juſtinus Martyr*, *Apol.* 2. & *Euſebius*, *Præp. Evang.* l. 4. De *Zabiis* & *Chaldæis* idem aſſerit *Maimonides*, *Mor. Nev.* lib. 3. c. 46. De ipſis verò Dæmonibus ſic ſentit *Porphyrius*, * *Avent*, inquit, *pro Numinibus haberi, & Poteſtas illa quæ cæteris præeſt pro Deo Maximo cenſeri vellet.* Verùm mihi magìs arridet alia nominis ratio: exiſtimo malos illos dæmonas *Deorum* titulo decorari eodem modo eâdemque ratione quâ Principes & Magiſtratus id nominis gerunt, quia ſcilicet Imperium & Dominium in homines exercent, quod propriè Divini Numinis eſt.

*Βούλονται γὰρ εἶναι θεοὶ, ἢ προεστῶσα αὐτῶν δύναμις δοκεῖν θεὸς εἶναι ὁ μέγιστος. De Abſtin. l. 2. §. 42.

Atque hoc, ni fallor, illis Apoſtoli verbis, ὁ θεὸς τοῦ αἰῶνος τούτου, 2 Cor. 4. 4. lucem non minimam fœnerare poſſit, nam θεὸς in iſto loco, ſtylo Hebraico, principem ſeu Dominum denotat; tales enim Hebræorum idiomate *Elohim*, i. e. *Dii* nuncupantur 22 Ex. 28, & Regii Vatis hymno 80, v. 6. atque aliis in locis. Congruè ab ipſo Servatore

tore Diabolus appellatur ὁ ἄρχων τοῦ κόσμου τούτου, 12 Johan. 31, nam ὁ ἄρχων & ὁ θεὸς idem ſonant. Et Pronomen illud τούτου obſervatu non indignum arbitror in priùs citato loco: ex eo enim patet, textum illum de Satanâ, non de Vero Deo loqui. Cujus quidem oppoſitum *Irenæus*, *Tertullianus*, *Origenes*, *Chryſoſtomus*, *Hieronymus*, *Auguſtinus*, *Theodoretus* aliique è Patribus perperam aſſeruerunt: mente tamen haud iniquâ; nam ut Hæreticorum quorundam, *Ebionitarum* nempe, *Marcionitarum*, *Manichæorum* cavillis, qui hunc locum de *Malo*, quod vocitabant, *Principio* peſſimè interpretati ſunt, faciliùs (ut putarunt) obviam irent, hæc verba de Vero Deo intellexerunt. Sed parum rectè, quia magnum eſt diſcrimen inter ὁ θεὸς τοῦ κόσμου & ὁ θεὸς τούτου κόσμου. Ipſum Summum & Verum Numen eſt quidem prior, ideóque apud Doctores Judæos audierat olim *Melech hagnolam*, Rex ſeu Deus Mundi, & Apoſtolo dicitur ὁ βασιλεὺς τῶν αἰώνων, *Rex ſeculorum ſeu mundorum*, 1 Tim. 1. 17, hoc eſt,

omnium rerum & perſonarum tam in hoc quàm in futuro ſeculo Dominus & Imperator Supremus. Verùm cùm de *Satanâ* loquitur idem Apoſtolus, verbis poſterioribus utitur, eum ènim vocat *Deum* ſeu *Principem* τȣ́τȣ κόσμȣ, *hujus* tantùm *mundi*, quatenus ſcilicet degener & impurus eſt, non quatenus à Deo conditus. Haud enim doctiſſimo illi † Præſuli ſuffragari queo, qui per *mundum* hoc in loco mundum Ethnicum duntaxat intelligi vult, nam ſcopus Apoſtoli (ſive Textum ipſum, ſive conterminam periocham conſulamus) nullatenus patitur talem reſtrictionem. Per *mundum* vult Apoſtolus omnes Impios, qui ſanè ſunt præcipua hujus mundi pars, quique malis dæmonibus ſe ultro ſubjecerunt. Quo ſenſu Dæmones alibi appellantur κοσμοκράτορες τȣ̃ σκότȣς τȣ̃ αἰῶνος τȣ́τȣ, 6 Eph. 12, *Mundi Potentes*, ut vertit * *Tertullianus*, ſeu *mundani rectores tenebricoſi hujus orbis* ſeu *ſeculi*, utpote qui in Impios & Reprobos, qui inferiori huic mundo mancipantur, tyrannidem miſerè exercent. Æquum eſt

† Epiſc. *Sarisbur.* Expoſit. 39 Artic. p. 57.

* De Reſur. carn. l. 1. c. 22.

eſt itaque ut emphaſin pronominis τότε obſervemus, ut ſciamus prædictum locum non de Deo Vero, ſed de malo Dæmone intelligi debere. Quid multa? cùm hæc, Scripturâ Magiſtrâ, de *Nominibus* Dæmonum dicta ſint, ecquis tam vecors eſt qui in rerum naturâ extare Nefarios illos Spiritus inficietur?

Deinde, ad horum *Ortûs* & *Originis* notitiam ducunt nos Sacræ Literæ, eæque ſolæ. Hinc enim diſcimus primitus eos fuiſſe bonos, mox autem à primitivâ illâ puritate ſponte ſuâ excidiſſe. *Ecce qui ſerviunt ei non ſunt ſtabiles, & in angelis ſuis reperit pravitatem,* 4 Job. 18; & deinceps capite decimo quinto, commate æquali, *Ecce inter ſanctos ejus* (i. e. angelos) *nemo immutabilis, & cœli,* (i. e. cœlorum incolæ) *non ſunt mundi in conſpectu ejus,* quia ſcilicet à munditie & innocentiâ ſuâ ultro defecerunt. Sed hoc planiùs diſtinctiúſque ex Novo Teſtamento indicatur: *Diabolus*, inquit Servator noſter, 2 Johan. 44, ὁ τῇ ἀληθείᾳ οὐκ ἔστηκεν,

ἔστηκεν, *non ſtetit*, id eſt, non manſit in illâ naturæ ſuæ integritate à Deo ſibi in principio inditâ, ſed ab eâ defecit. Unde S. Petrus ἀγγέλων ἁμαρτησάντων meminit, Epiſtolâ ſecundâ, capite pari, verſiculo quarto. De quibus ſic S. Judas Epiſtolæ ſuæ commate ſexto, *Angeli non ſervaverunt* τὴν ἑαυτῶν ἀρχὴν, *Principium ſuum*, putà ſtatum & conditionem quam initio adepti fuerunt (nam hæc Verſio, quæ & *Anglicana* noſtra eſt, quantum mihi videtur, eſt perquam facilis & genuina) vel, juxta *Vulgatum* Interpretem, *non ſervaverunt principatum ſuum* (ſic enim ἀρχὴ etiam ſonat) nempe primitivum quo donati erant dominium; *ſed dereliquerunt ſuum domicilium* (ut in citato loco ſequitur) hoc eſt, *Cœlum*, ubi habitabant divini illi incolæ. In Ethnicorum ſcriptis ſi quid hujuſmodi occurrat, nimirum de Angelorum lapſu, à Sacris Archivis id hauſiſſe non dubitandum eſt, putà vel à Paginâ Canonicâ, vel ab antiquis Patriarcharum & Judaïci populi traditionibus quibuſcum verſati ſunt.

sunt. Et inde *Empedocli* memorantur, citante [a] *Plutarcho*, δαίμονες θεῶν λαῶν & οὐρανοπλῆτες, dæmones deorum irâ depulsi, ac cœlo deturbati. *Pherecydes Syrius*, antiquissimus Scriptor, ab [b] *Origene* & [c] *Eusebio* memoratus, de lapsis angelis non nihil tradidit, & nominatim de *Ophioneo, dæmonico serpente, deserentis agminis antesignano*, ut [d] *Rhodigino* audit.

[a] De Vitando ære alieno.

[b] Contra Cels. l. 6.

[c] Præp. Evang. l. 2. c. 10.

[d] Lect. Antiq. l. 2. c. 7.

[e] Inveteratam apud *Gentiles* opinionem de nequitiâ Dæmonum ex variorum Scriptorum testimoniis amplissimè probat & illustrat Cl. *Casaubonus* in tractatu de *Origine Malorum*, breviusculo quidem, sed multifariâ eruditione referto. Quibus auctarii loco nonnulla ex aliis Autoribus adjecit eruditissimus Episcopus nuper *Vigornienſis* (cui in Orbe literato nihil non innotuit) illud imprimis *Xenocratis*, Philosophi Athenienſis, [f] *esse* nimirum *in aëre magnas & potentes naturas* (ita enim Cacodæmonas appellat) *easque malignas & tetricas, quibus mala cordi sunt & in summis deliciis.*

[e] Τῶν πάνυ παλαιῶν λόγῳ, ὡς τὰ φαῦλα δαιμόνια καὶ βάσκανα, προσφθονοῦντα τοῖς ἀγαθοῖς ἀνδράσιν, &c. *Plutar.* in *Dione.*

[f] εἶναι φύσεις ἐν τῷ ὑπερέχοντι μεγάλας μὲν καὶ ἰσχυρὰς, δυσκράτους δὲ καὶ συμπαθεῖς, αἳ χαίρουσι τοῖς πάθεσι, scil κακοῖς. *Plut.* de *Is.* & *Osir.*

Hoc

Hoc ex Plutarcho, ut & plura ex ſcriptis Ethnicorum, ſolerter notavit, in libro 3 *Originum Sacrarum*, cap. 3, Magnus ille *Stillingfletus*, qui tanto Eruditorum omnium mœrore rebus humanis nuper exemptus eſt, poſteaquam meritis Literariis Monumentum ſibi erexerat quovis Mauſoleo perennius. Erat (hei miſeris nobis quòd non *eſt*) Eccleſiæ Anglicanæ Propugnaculum, Sacratiſſimæ Religionis noſtræ munimentum. Fuit (ah piget dixiſſe *fuit*) omnigenis ſcientiis & diſciplinis, quà divinis quà humanis, inſtructiſſimus. Res Eccleſiaſticas, civiles; res Sacras, prophanas; priſcas, novas; Theologicas, Juridicas, Medicas, Philoſophicas, quæcunque demum ſciri potuere, perluſtravit, novit, calluit exquiſitiſſimè. Univerſos ſeculorum omnium libros, univerſa cunctarum gentium volumina devoraravit, concoxit, atque in ſuccum & ſanguinem converterat ipſe Muſæum vivum, & ſpirans Bibliotheca. Nec Alienis chartis affigi voluit, verùm Suis literatos omnes ubertim beavit,

beavit, dum Pontificiorum & Novatorum ſcripta pluſquam obelis toties jugulavit & confoſſit ſcientiſſimus ille librorum, hominum, rerum æſtimator: quem vel vidiſſe, penè fuit doctum evadere. Nec tantùm literas omnimodas coluit, ſed literarum cultores, quamvis infimæ eſſent claſſis, fovit humaniſſimè. Quo nomine mihi nunquam ſine honoris elogio nominandus eſt Pater ille Infulatus, qui, cùm adversùs *Unitarios*, eorumque neceſſarios ac ſocios in aciem deſcenderem, incœptis noſtris impensè favit, hilari vultu & obviis ulnis excepit, erudito calamo animavit, exſtimulavit, approbavit. Quin & ſtudia noſtra & conatus Præſidio & Patrocinio ſuo tueri dignatus eſt æquiſſimus ille Judex, Patronus, Amicus: cujus quidem judicio probari longè plus duxi quàm millium aliorum virorum teſtimoniis ornari. Gratulor ergo mihi felicem hanc quam nactus ſum anſam publicum hoc Gratitudinis & Venerationis teſtimonium perhibendi: ut poſteris quodammodo teſtari valeam quàm

ſin-

ſingulari benevolentiâ, quam incredibili propè favore me devinxit Eruditorum facilè Princeps, Seculi Gloria, Miraculum Literatorum. Sic à me maximè debito tanti Antiſtitis Manibus officio parentali ac noviſſimo tandem perſoluto, jam fas ſit progredi.

Lapſus innuit Crimen: Quodnam igitur Angelorum delinquentium *Crimen* ſtatuamus oportet? Profectò conjicere hìc faciliùs eſt quàm ſtatuere & definire. Extitit nuperrimè novum de iſtoc dogma, à *Bynæo*, in libello ſuo *de Natali Chriſti*, recèns excogitatum; aſſerit enim culpam eorum fuiſſe ſeductionem *Evæ* & *Adami*. Bellè quidem; at bono viro priùs eſſet probandum ſeductionem illam lapſum eorum Spirituum tempore præceſſiſſe, quod ille neutiquam probatum dedit, aut daturus eſt. Veterum hâc in re ſententiam ſi quæramus, *Joſepho* & *Philoni* placet, imò & aliquot * Patribus Chriſtianis angelos olim præ concupiſcentiâ & carnali libidine defeciſſe: verùm cùm hæc Opinio ſolis

* *Juſtino Martyre, Clemente Alexandrino, Tertulliano, Origene, Euſebio, Ambroſio.*

ſolis iſtis verbis, 6°. Geneſeos, 4°, *Ingreſſi ſunt filii Dei ad filias hominum*, niti videatur, corruat neceſſe eſt, quia locus iſte non de Angelis loquitur, ſed de hominibus religioſis & piis (comparativè ſic dictis, quales quales protulit iſta ætas) qui ſecundùm ſacrum loquendi modum * *filii Dei* appellantur. Alii, inter quos maximè clarent *Irenæus*, *Cyprianus*, *Lactantius*, Angelos aïunt ex Malevolentiâ & Invidiâ erga homines primævos deliquiſſe; ſiquidem primorum parentum beatitudinem ægrè ferebant, & illos infelicitatis & miſeriæ ſuæ ſocios nanſciſci voluerunt. Verùm hoc lapſûs Angelici fructus, non origo fuit. Maxima pars Patrum Antiquorum *Superbiam* fuiſſe primum angelorum delictum non immeritò arbitrantur: utpote cùm ad naturæ ſuæ excellentiam, & ſublime illud honoris & dignitatis faſtigium ad quod evecti erant, animos adverterent, arrogantem illico de ſeipſis opinionem concipere inceperunt, itidemque ſumere ſpiritus, criſtas erigere, inſolenter

* 1 Hoſ. 1c. 15 Marc. 39. 1 Joha. 12. 8 Rom. 14.

& contumaciter ſe gerere, faſtu inflari, ambitione ſtimulari, altiúſque quàm oportuit ſe attollere. Imò eò proceſſit eorum arrogantia, ut non ampliùs Deo ſubjici, ſed ad ſummum Imperium & Dominium ſcandere, ad divinam celſitudinem aſpirare, ipſámque Divinitatem affectare velint. Quod nonnulli Sanctorum Patrum ex *Eſaiâ* elicere conati ſunt, *Similis ero Altiſſimo*, cap. 14. v. 14. Atque ob hanc inſolentiam & proterviam meritiſſimè de cœleſtibus domiciliis ejecti ſunt. Quò reſpicere videtur illud *Eſaiæ*, de *Senacherib* Regis ſuperbiſſimi interitu verba facientis, capite prædicto, verſu duodecimo, *Quomodo concidiſti de cœlo, Lucifer, fili auroræ!* hoc eſt *Stella matutina*, quo nomine decorantur *Angeli*, 38 Job. 7. Adeò ut hoc perinde ſit ac ſi diceret Propheta, Tyrannnum illum Babylonicum, ut olim Cœleſtes Angelos, Superbia dejecit. Quò forſan alludit divinitus inſtructus Apoſtolus, 1 Tim. 3. 6, *Nè in ſuperbiam elatus, in judicium incidat Diaboli*, h. e. interprete S. Chryſoſtomo, nè eo-

dem

dem ſupplicio afficiatur quod diaboli ob arrogantiam & ſuperbiam ſuam experti ſunt. Illi nempe ubi nimiâ gloriæ & honoris cupiditate flagrantes, ſibi plus æquo arrogarunt, juſtiſſimâ Divini Numinis vindictâ, exauctorati ſunt, dignitate ſpoliati, de gradu cœleſti in ima Tartara (ut deinceps videbitis) dejecti, deturbati; atque execrandæ ſuæ audaciæ & faſtûs meritas illic pœnas dederunt. Atque hæc hactenus de *Origine* & *Ortu* Malorum Dæmonum, & eorum *Lapſu* dicta ſunt, quorum nulla idonea ratio aſſignari poteſt niſi ex paginâ Divinâ.

Sed à Malorum Angelorum Origine & Deſertione ad eorum *Multitudinem* & *Diverſos Ordines* tranſire liceat: quorum etiam cognitio ex Divino Codice maximè haurienda eſt. Ubi obiter notatu non indignum eſt *Satanæ* ſeu *Diaboli*, quaſi ſingularis & unius ſolummodo, mentionem quandoque fieri, cùm nihilominus * Pluralitas dæ.

* 3 Marc. 23. 26 Act. 18. 16 Rom. 20. 2 Heb. 14. 4 Jac. 7. 1 Johan. 3. 8. 2 Apocal. 10. 12. 12.

dæmonum, imò ingens eorum numerus, & tota perduellium illorum turba intelligenda eſt. Quam ſanè Numeroſiſſimam eſſe ex Evangeliſtis accepimus, nam *ſeptem dæmones* in unicâ *Magdalenâ* hoſpitati ſunt, referente S. *Marco: Immundus ſpiritus aſſumpſit ſecum ſeptem alios nequiores*, teſtante S. *Matthæo.* Atque hoc etiam ex liberâ ipſorum dæmonum confeſſione facilè patebit, *Legio mihi nomen eſt, quia multi ſumus*, 5 Marc. 9. *Legio* Romana quamvis pro Senatûs arbitrio, aliàs minoris, aliàs amplioris numeri fuerat, ſemper tamen vaſto militum robore conſtabat; interdum ſex millium & ducentorum fuit, ad minimum quatuor millium: unde conjicere eſt magnas dæmonum copias; nam ſi unum hominem (ut ex Evangeliſtâ liquet) *Legio* dæmoniorum occupaverat, totum eorum exercitum multarum myriadum eſſe, & penè innumerabilem dixeris. Dæmonum igitur * plena ſunt loca univerſa: infra, ſupra, undequaque malorum ſpirituum infinitâ

* ὡς εἶναι πλήρη μὲν τὸν ἀέρα, τοῦτε ὑπερθεν ἡμῶν & τὸν περὶ ἡμᾶς· πλήρη δὲ γαῖαν & θάλατταν, & τὰς μυχαιτάτας καὶ βυθίους τόπους. Pſell.

finitâ prope colluvie ac farragine circumdamur, circumvallamur, cooperimur.

Atque hic cœtus immenſus, hæc ampla quà majorum, quà minorum gentium dæmonum caterva certo quodam *Regimine* & *politiâ* gubernatur, ut etiam ex Sacrâ Scripturâ accepimus. Sic enim loquitur Servator noſter, *Si Satanas adversùs ſe diviſus eſt, quomodo ſtabit regnum ejus?* 12 Mat. 16. Eſt ergo regnum Satanicum, eſt Sceptrum Diabolicum; & ſumma dæmonum cura eſt nè inter ſe & adversùs ſe dividantur, nè ſimultates inter ſe invicem alerent, nè in contraria ſtudia abripiantur, nè factionibus & tumultibus diſtrahantur, nè ſcilicet inter ſe commiſſi *Imperium* & Regimen ipſum labefactarent. Eſt autem illis Unus, qui Principatum ſummum obtinuit, quique *Dæmoniorum Princeps* audit, 12 Mat. 24. Hinc legere eſt de *Diabolo & angelis ejus*, 25 Mat. 41, hoc eſt, de ſupremo dæmone qui rerum potitur, & ejus miniſtris ſeu

ſubditis quibus imperat & dominatur. Refert Scriptor Apocalypticus bellum geſſiſſe cum Cœleſtibus copiis *Draconem & angelos ejus*, 12 Apoc. 7, quaſi dixeris, Imperatorem & Exercitum ejus, ſeu Principem & qui illi ſubjiciuntur, nam hi *angeli ejus* vocantur. Quo ſenſu accipiendum putarem illud Divi Pauli, ſecundâ Epiſtolâ ad Corinthios, cap. 12. v. 7. *Datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ, angelus Satanæ.* Quæ verba vix quenquam hactenus ex Interpretibus (unicum fortè *Cameronem* ſi excipias) rectè intellexiſſe ſi dixerim, concedatur mihi venia obſecro; *ſtimulum* enim *carnis* alii de concupiſcentiâ & libidine interpretantur, alii de corporis quodam morbo, alii de moleſtiis & ærumnis, de periculis & perpeſſionibus ab adverſariis illatis, alii denique de quibuſvis rebus adverſis & calamitoſis; atque adeò *ſtimulum carnis* & *angelum Satanæ* duas res faciunt, nam nimis violentum & coactum eſſet rebus inanimatis, ut libidini, adverſæ corporis valetudini, aut externis

ærumnis

ærumnis nomen *angeli* impertire: quapropter inter *ſtimulum carnis* & *angelum Satanæ*, ut res longiſſimè inter ſe diſtinctas, manifeſtum diſcrimen faciunt, cùm revera ſint res una eadémque: nam *angelus Satanæ* hìc exegeticè ſumi debet de *ſtimulo carnis*, & per Appoſitionem (ut loquuntur Grammatici) ei adjicitur: quod ex eo ulteriùs manifeſtum eſt quòd nulla hìc extat particula *Disjunctiva*, quâ ſolent res diſtingui. Hæc ergo, ut mihi videtur, mens eſt Apoſtoli, Datus ſeu miſſus erat mihi, permittente Deo Optimo Maximo, angelus malus, ſupremi dæmonis famulus & ſubditus, quem certè expertus ſum eſſe *ſtimulum carnis meæ*, hoc eſt, corpus meum graviter afflixit. Hic, non ſecus ac *aculeus* corpori meo inhærens, non aliter quàm *ſpina* carni meæ infixa, vehementem mihi dolorem intulit. Et eleganter adjicitur, ἵνα με κολαφίζῃ, *ut me colaphis cædat*, i. e. ut opinor, ut me veluti ſervum & vernam pro tempore tractaret; ſervile enim erat ſupplicium colaphis & ferulis ab

iratis dominis onerari. Talis eram Maſtigia, inquit Apoſtolus, cùm ab irato quodam dæmone vapulabam. Hic ipſe eſt qui juxta ſtylum ſacræ paginæ eſt ἄγγελος Σατᾶν, ſupremi dæmonis miniſter & ſubditus. At quàm inepta hæc eſſent omnia, ſi nulli eſſent omnino dæmones?

Quinetiam, diſtinctas eorum *Claſſes & Gradus* indigitare videntur Sacræ Literæ. *Nobis eſt colluctatio,* inquit Apoſtolus, *adversùs principes & poteſtates, adversùs mundirectores tenebrarum harum, adversùs ſpirituales nequitias* (ſeu *ſpiritus nequitiæ*, nam πνεύματικὰ τῆς πονηρίας idem planè valet quod πνεύματα τῆς πονηρίας) *in cœleſtibus*, 6 Eph. 12. Ubi Beatus Paulus, ſi quid ego judicem, Spiritus malignos diſtinguit primò quoad Eminentiam inter ſeipſos; nam in diro illo regimine præter unum ſummum Monarcham ſunt Minores Principes, ſunt Proceres, ſunt veluti Satrapæ & Magnates, qui hìc ἀρχαὶ & ἐξουσίαι appellantur.

Et

Et certè iis nominibus insigniuntur ab Apostolo, quia revera dominium & potestatem exercent. Unde miror viro docto, cætera oculato & in Literaturâ Criticâ tantopere versato, talia verba excidisse, * *Mihi quidem videtur Paulus non tam ponere ac affirmare ista, quàm obliquè & ex Hæreticorum sermonibus accepta inducere.* Nihil minùs sanè; nam non obliquè, sed directè & absolutè, non ex aliorum sententiâ, sed ex suâpte mente loquitur hæc rotundo ore Apostolus; cujus id certissimo sit indicio, quod in plurimis aliis locis Dæmonum horum, de quibus jam nobis sermo est, *Regimen* & *Principatum* ponit & affirmat luculentissimè. Deinde, distinguuntur hìc desertores Angeli quoad locum & situm quem sortiuntur: sunt enim vel *Terrestres*, qui scilicet circa tenebrosam Telluris hujus atmosphæram stationem nacti sunt, & ideo perquam appositè *Rectores harum tenebrarum* ab Apostolo dicuntur. (Hi sunt Plebs Infernalis, seu Populi Dæmonici fæx, & ideo forsan impio-

* D. *Gale* notæ in Jamblich. p. 208.

rum hominum Vulgo ſat congruè præficiuntur.) Vel ſunt *Cæleſtes*, ex Procerum Purpuratorum & Aulicorum numero, qui nempe in ſublimioribus aëris Regionibus potiſſimùm verſantur, quæ in Sacris Literis *Cælum* vocantur; ob quam rationem hoc dæmonum genus ἐν τοῖς ἐπουρανίοις *in cæleſtibus ſedibus* à Divino Myſtâ hìc collocatur. Sicut & veriſimile eſt alios dæmones in ſubterraneos, in aqueos & marinos, in ſylveſtres diſtribui poſſe, ſecundùm diverſas eorum ſedes. Non quaſi in illis locis ſemper commorentur, ſed quia (quantùm ego auguror) illis maximè gaudent receptaculis, & illinc agmine facto ad humanum genus infeſtandum impetu ſummo egrediuntur, proſiliunt, evagantur errabundi. Ita noſtram de Textu illo Paulino ſententiam liberè protuli: Veſtrûm eſt, Auditores, de illâ judicium ferre. Demùm, non me latet quòd multa fabuloſè de Dæmonum Ordinibus, de Gradibus & Politiâ *Proclus*, *Pſellus*, *Plotinus*, multa temerè affirmarunt *Porphyrius* & *Jamblichus* Platonicis

cis ſomniis nimiùm dediti. Sed in Sacro Codice de his altum eſt ſilentium, de his nos Scriptura non erudivit. Quæ igitur Deo non viſum eſt in Verbo ſuo patefacere, non eſt quòd curioſiùs ſcrutemur, non eſt quòd ſcrupulosâ indagine inveſtigemus.

Illud proximo loco, Sacrarum Scripturarum ductu, videndum eſt, quales nempe ſint Malorum Dæmonum *Conatus* & *Inſultus*, qualia ſint *ſtudia* & *inſtituta*. Nam quamvis dæmonibus plus juſto nonnunquam tribui ſolet; quamvis multa iis facinora affingimus quæ illis non ſunt in ſolidum adſcribenda; quamvis in tetros illos ſpiritus delicta noſtra transferre ſolemus, ut noſmetipſos hâc ratione à culpâ eximamus: pro certo tamen habendum eſt illos pleriſque hominum vitiis magnâ ex parte intereſſe, & ad quævis ſcelera propellere. Sicut primorum hominum lapsûs & miſeriæ fuerunt autores, ſic in hoc totis viribus incumbunt, ut univerſum genus humanum in æternam ſecum

ſecum perniciem demergant & præcipitent. Nam damnatis illis Spiritibus non ſufficit miſeris eſſe ſolis, ſed univerſam proſapiam humanam eâdem prorſus ruinâ obruere conantur. ὁ πειράζων ſignanter & per eminentiam dicitur Diabolus, 4 Mat. 3. 1 Theſſ. 3. 5. quia homines tentare, & ſollicitare, ab officio ſuo abducere, & ad omne malum inſtigare præcipuum ſit ejus negotium, & quaſi proprium officium & munus. Hinc *circuit terram, & perambulat eam*, ſeipſo confitente, 1 Job. 7. Contra bonos nihil non moliri ſatagit, *jacula ignita* (ut concinnè Apoſtolus) in illos torquet, pacem & tranquillitatem turbat. Imò latiùs graſſatur cùm in Eccleſiâ *zizania ſeminat*, 13 Matth. 25, dum Schiſmata & lites movet, dum contentionum & diſſidiorum ſcintillas accendit, dum Hæreſes & Errores parturit propagatque, qui ideo Apoſtolo dicuntur *doctrinæ dæmoniorum*, priore ad Timotheum, 4° capite, verſiculo primo. Cujuſmodi erant olim *Gnoſticorum*, *Montaniſtarum*, *Manichæorum*, *Arianorum*,

rum, Pelagianorum; nunc verò *Scepticorum, Socinianorum* (qui ſe ſpecioſo *Unitariorum* nomine venditare amant) *Deiſtarum, Tremulorum*, aliorúmque Enthuſiaſtarum deliramenta. Conjuratus enim iſte Veritatis hoſtis id ſolerter curat ut Fidei dogmata corrumpat, ut veram Religionem carpat & proſcindat, ut hominum animos falſis & pravis opinionibus nequiter imbuat inficiátque.

Neque hìc ſiſtunt dæmones ſcelerati, in humani generis exitium ingenioſiſſimi. Variæ ſunt illis nocendi artes, & nullum non movent lapidem ad Imperii ſui extructionem moliendam. * Nunquam non vitiis pabulum & fomitem ſubminiſtrant, &, ut proſperè ſuccedant conatus, cujuſvis conditioni velificantur veteratores illi, ac omnium malorum artifices & architecti. Variis hominum cupiditatibus obtemperant & morem gerunt, ſe totos ad eorum arbitrium ſingunt & componunt. Pollicitationibus dapſiles ſunt, & congruis cuique Illecebris allicere norunt & ſibi demerere. Varias

* Οὐδὲν ἂν τῶν κακῶν ἐκ ἐπιχειροῦσι δρᾶν. *Porphyr.* de Abſtinentiâ l. 2.

pro

pro cujuſq; naturâ & genio, pro ſexu & ætate technas ſtruunt, ſeſe ſingulorum indoli accommodantes. Pro diversâ loci & temporis ſorte aliud atque aliud meditantur. Cùm hàc nihil aut parum proficiant, aliâ (prout res ſunt) ſe actutum ſubducunt & convertunt Ardeliones illi & Protei deſultorii. Nunc cuniculos agunt, quâ ſunt aſtutiâ: mox aperto Marte nos aggrediuntur, quâ pollent vi. Ex hâc parte Idololatriâ & Superſtitione, ex alterâ Atheiſmo & Infidelitate: hinc Ignorantiâ & barbarie, iſtinc nimiâ Scientiæ affectatione mentes humanas inficiunt. Nunc crudeles & atroces, modò laſcivos & procaces eſſe jubent. Hos invidiâ, illos ſuperbiâ inflant. Interdum ad crapulam & luxuriam nepotinam ſuadent, aliàs ad miſeras ſordes. Quoſdam crimina & nequitias ſuas famigerare ac in apertum proferre; alios verò obtegere & à conſpectu removere, aut honeſto ſaltem titulo incruſtare docent. Sic machinis nos omnibus adoriuntur Verſutiſſimi hoſtes, ſic mille modis animos & mores hominum

minum corrumpunt, quibus illos non minùs arctè ſibi alligare ſolent, atq; ſuos facere, quàm ſi ſolenni Pacto & Fœdere, Veneficorum ritu, obſtringerentur, aut ſi miſeri peccatores, *Braſilienſium* more, ipſos humillimâ adoratione colerent. Hæc Dæmonum ſtudia ſunt, hæ Artes, hi conatus, ut in ſummum capitis diſcrimen nos adducant incautos. Quod ſanè nequit pleniùs & luculentiùs exprimi quàm illis Apoſtoli verbis, 1 Pet. 5. 8. *Diabolus, tanquam leo rugiens, circuit, quærens quem devoret.* Meritò *leoni* comparatur, qui omnium animantium fortiſſimus & truculentiſſimus habetur. Meritò *circuire* dicitur qui μεθοδίας tam inſignis eſt, 6 Eph. 11. nam μεθοδεῖν aut μεθοδεύειν, unde iſtud vocabulum ortum habet, (ut rectè notavit Criticæ Scientiæ peritiſſimus * *Heinſius*) eſt *circumire intentus*, ſive *obambulare cum animo inſidiandi*. *Rugit* verò dæmon, haud ſecus ac rabidum & famelicum illud animal, cùm furibundus oberret, & avidiſſimè prædam, hoc eſt Stirpem humanam *quærat*, quam ſcilicet *devoret*,

* Exercit. Sacr. p. 472.

voret, quam leonis ad inſtar dentibus & unguibus diſcerpat, quam faucibus diglutiat & abſorbeat. Perſpicitis, Fratres, quàm vivis coloribus depingitur natura Dæmonum: & demonſtratione prorſus irrefragabili non tatùm Exiſtentia (quod jam contendo) ſed & Sævitia illorum Spirituum ſancitur, firmatur, comprobatur.

Denique ex Divinis Eloquiis, iiſque ſolis perfacilè elici poſſit quâ demum *Pœnâ* afficiantur impii illi hoſtes Divini Numinis. Ut eorum natura mutatur, ſic ſtatus, ſic ſedes & locus; aſſerit enim CHRISTUS *diabolo & angelis ejus paratum eſſe ignem æternum*, 25 Mat. 41. barathrum ſcilicet æternis flammis ſuppletum, quibus torquendi, & quaſi torrendi ſunt. Atque hoc ipſorum dæmonum verbis innui videtur, 8 Luc. 31. *Nè imperate nobis ut in abyſſum eamus*, i. e. ut ad Gehennam, proprium cruciatûs locum, redeamus; * *Abyſſus* enim Infernum eſt, 9 Apoc. 11. 11. 7. Huic loco S. Petrus *Tartari* nomen quo-

* Ἄβυσσον πολλαχοῦ τῆς γραφῆς, τὸ τῶν δαιμόνων ἐνδιαίτημα μεμαθήκαμεν. Greg. Nyſſ. Tractat. 1 in Pſal. cap. 1.

quodammodo largitur, ut cernere eſt in ſecundâ Epiſtolâ, capite ſecundo, commate quarto, *Deus angelis peccantibus non pepercit* (ut dignatus fuit Hominibus peccantibus *parcere*) *ſed detractos in Tartarum, tenebrarum catenis tradidit cruciandos.* Ubi obiter notandum placuiſſe hìc S. Petro uſurpare vocabulum ταρταρώσας, quod à Gentilium Poetarum fabulis, de *Tartaro* nimirum, originem primam traxit. Viſum eſt Sacro Scriptori nonnulla ab Ethnicorum figmentis mutuari, ad id quod verum eſt & minimè fictum exprimendum. Quin & nomina Gentilitia obſervare eſt in Verſione *Latinâ Vulgari*; ubi mentio fit *Cocyti*, 21 Job 33, & *Onocentauri* 34 Eſai. 14. Et non tantùm apud Latinos ſed apud Græcos Interpretes *Amalthææ cornu* occurrit, 42 Job. 15. Ab iiſdem LXX Interpretibus fit mentio *Sirenum*, 1 Mic. 8. 13 Eſai. 21. & aliis hujus Prophetæ locis. Quæ omnia ſunt Paganicæ & Poeticæ inventionis vocabula. Atque idem cenſendum eſt de *Arcturo* & *Pleiadibus*,

adibus, quibus tamen utuntur Bibliorum Interpretes tam Græci quàm Latini, & Verſio noſtra Anglicana. Sic in loco prædicto divinitùs illuminatus Apoſtolus non reſpuit verbum πεῖραρ, quamvis τάρταρος ſit vox purè Poetica, & ipſum verbum πεῖραρ præcipuè dicatur apud Scriptores Ethnicos de *Titanibus* fabuloſis, à Jove in *Tartarum* ex *Olympo* dejectis. Faceſſat ergo deridicula *Tremulorum* nuperorum gens, quæ Anni Menſium, & Hebdomadæ Dierum nomenclaturam, quaſi Gentiliſmum ſaperet, delicatulo faſtidio repudiare geſtit.

Sed pedem refero, & ad propoſitum redeo. Quî fit, dices, ut in imum *Tartarum* detruſi ſint Cacodæmones, & *catenis conſtricti* (illud enim mox ſubjicitur ab Apoſtolo) & nihilominus *terram circumeant & pervagentur*, ut priùs audivimus? In promptu eſt Reſponſio, In regionibus infernis non tam ſtrictè vincti detinentur captivi dæmones, quin poſſint, Deo

ſic

ſic volente & ſtatuente, terras & aërem frequenter viſere, imò & illic diu commorari, & quaſi degere. Nec miremini, Auditores, ſi dixerim malos dæmonas, etſi ad Tartara mancipatos, ipſum cœlum petere, & beatorum ſedem ſcandere: dicitur enim 1 Reg. 22, v. 19, *Egreſſus eſt Spiritus* (qui in proximo commate *Spiritus mendacii* vocatur, & ergo malus Spiritus) *& ſtetit coram Domino, ſedente ſuper ſolium ſuum, & omnis exercitus cœli aſſiſtebat ei à dextris & à ſiniſtris.* Unde manifeſtò liquet permiſſum eſſe Spiritibus illis perditis & malignis ſupremum cœlum aſcendere, & coram Dei ſolio ſe ſiſtere, ut mandata & juſta divina illic recipientes, poſteà in terris exequerentur. Neque id tamen obeſt, quò minùs in Gehennâ eſſe dicantur, namque ubicunque incedunt (ipſas Cœleſtes regiones non excipio) in Tartaro ſunt, tormenta enim ſua ſecum gerunt. Sicut de bonis Angelis rectè pronuntiaveris illos ad Cœlum pertinere, imò illic degere (unde *Angeli Cœlorum* appellantur,

24 Mat. 36.) etsi Sacrosancti Numinis jussu rebus humanis & terrenis crebro intersint: haud absimili modo & ratione Spiritus Impuri in Orco (quò primò præcipites dati sunt) commorari dicantur, atque illic cruciari, quantumvis hisce se ostentant terris, & mortalium aspectui se objiciunt. Næ, etiamsi peregrè eunt, etiamsi ultrò citróque commeant vagabundi, attamen domi figuntur, nec compedes & manicas excutere valent. Veniet autem tempus quando in Tartareâ illâ Abyssо clausus, & obseratus in solidum ligabitur integer eorum cœtus, ut inde exeundi nulla sit venia, nulla copia. Tandem ad gehennalem carcerem in totum rapientur, nec licebit illis in æternum commutare locum. Non me latet contrariam sententiam nonnullos è Veteribus Philosophis, præsertim Platonicis, amplexos fuisse. Mortales esse dæmonas censuit *Porphyrius*. Ipsi † *Platoni*, ut & *Proclo* & *Jamblicho*, Spiritus illi sunt λυτοὶ, dissolubiles. Juxta * Plutarchum dæmones cujuscunque generis

† In Timæo.

* De Orac. defectu.

παθη

παθη θνητῶν καὶ μεταβολὰς experiuntur. Itidemque hiſtoriam refert idem Scriptor de defuncto *Pane:* unde colligere eſt invaluiſſe apud Gentiles opinionem de Morte dæmonum, ſive boni, ſive mali fuerint. Nec diffitendum eſt aliquot è *Rabbinorum* Judaïcorum claſſe idem ſomniaſſe. Per Alcoranum ſuum, aïunt *Mahometani*, ſalvi tamen evadent Cacodæmones impuriſſimi. Imò verò hæc deliria quibuſdam Chriſtianorum nomen præ ſe ferentibus, ut *Cardano* & *Paracelſo*, non parum arrident. Quin & † *Origenes* olim, quanquam non extremum diem obituros diabolos, veruntamen pœnitentiam acturos, & peccatorum ſuorum veniam conſecuturos, adeoque ex Orci faucibus ereptos fore contendit. Quâ ex parte, ni fallor, dæmonibus iſtis nimis favet *Limborchius*, Sectæ *Remonſtrantium* aqud ſuos coryphæus, dum ſcilicet reprobos illos Spiritus * *non omni bonum faciendi facultate penitus privatos eſſe* aſſerere non veretur: quaſi de turpiter admiſſis dolere tandem poſſint, & ad bonam

† Περὶ ἀρχῶν l. 1. c. 6. & l. 3. c. 6.

* Theolog. Chriſtiana l. 2. c. 20.

frugem converti. At hæc mera ſunt commenta, meræ fabulæ & nugæ, ſacriſque Oraculis è diametro repugnantes, quæ *diabolo & angelis ejus æternas flammas* (uti priùs accepiſtis) *paratas eſſe* clariſſimè enuntiant. Teſtatur & S. *Judas* in loco illo quem ſuperiùs attuleram, *angelos qui deſeruerunt ſuum domicilium, vinculis æternis reſervari*, hoc eſt, perpetuis cruciatibus & ſempiternis ſuppliciis devoveri.

Atque hæc ſunt, Academici, quæ de Nominibus, de Origine, de Multitudine, de Ordine & Regimine, de Studiis & Conatibus, & demum de Statu & Supplicio malorum dæmonum Sacra nobis Pagina ſuppeditavit. Ex quibus cunctis tales eſſe Spiritus in rerum naturâ nemini occultum eſſe poteſt. Quod penſum erat mihi abſolvendum.

Verùm hæc ita eſſe, & probari, vehementer ſtomachantur Adverſarii, & ſuos ex adverſo ſcrupulos obtendunt, ad ſententiam noſtram, ſeu

ſeu potiùs Sacri Codicis doctrinam oppugnandam. Præſertim D. *Beckerus*, Belgicorum Scriptorum ſub Concionis hujuſce initium memoratorum alter, eam non paululùm *Providentiæ* & *Bonitati Divinæ* derogare ad ravim uſque clamitat. Quamvìs, ut obiter hìc notarem, hoc ipſum eſt quod *Celſus* Epicuræus (contra quem calamum diſtrixit Magnus ille Origenes) Chriſtianis olim objecerat, nempe † *Deus Maximus hominibus benefacere volens, propter adverſariorum dæmonum obnitentiam, id nequit*: ac proinde exclamat infeſtiſſimus iſte Chriſtiani nominis & fidei hoſtis, * *hallucinari prorſus eos qui Malos Dæmonas eſſe, & Satanam nominatim Divini Numinis adverſarium affirmare audent*. Pergit audax *Batavus* piis auribus offendiculo eſſe maximo, dum *Celſi* pedaneus vult adhuc eſſe imitator. Si ſint Dæmones, ait, tam numeroſi, tam potentes, actum eſt ilicet de *Omnipotentiâ* Dei, & ſupremo ejus Dominio: ſi ſint ſpiritus tam noxii & lethales, conclamatum eſt de

† Ὁ μέγιστος θεὸς, βουλόμενος τι ἀνθρώποις ὠφελῆσαι, τὸν ἀντιπράσσοντα ἔχει, καὶ ἀδυνατεῖ. Contra *Celſ.* l. 6.

* Σφάλλονται δὲ ποιοῦντες τῷ θεῷ ἐναντίον τινα, διάβολόν τε καὶ γλώττῃ Ἑβραίᾳ Σατανᾶν ὀνομάζοντες τὸν αὐτόν. Ibid.

Miſericordiâ, ſicut & de *Juſtitiâ* Divinâ: ſi angeli perduelles, Dei hominumque oſores tam callidè & aſtutè ſe gerant, actum eſt etiam de divini Numinis *Sapientiâ* & *Prudentiâ*. Ut paucis dicam, Deum imbecillitatis, inclementiæ, injuſtitiæ, & imprudentiæ inſimulare videtur.

Ut perverſis hiſce Objectionibus, ſeu potiùs rejiculis affaniis, quas in erroris ſui tutelam & patrocinium futiliter affert, quadantenus obviam eam, hæc breviter regero,

I. Id Antagoniſtæ noſtro memoriâ recolendum eſt quòd non tantùm de *legione diabolicâ*, (ut ſupra audivimus) ſed & de *duodecim* (i. e. multis) *angelorum bonorum legionibus* loquitur Sacra Scriptura, 26 Mat. 53, alluſione proculdubio habitâ ad Militiam Romanam, in quâ juſtus exercitus ex duodecim Legionibus conſtitutus erat. De *Michaële & angelis ejus* legimus non minùs quàm de *Dracone & ejus angelis*, 12 Apoc. 7. Nimirum boni angeli cum malis bellum gerunt, & (ut

(ut patet ex citato textu) eorum vires compeſcunt, reprimunt, frangunt. *Angelus de cœlo deſcendens* (ut diſertè dicitur in initio viceſimi capitis hujus libri) *apprehendit draconem ſerpentem antiquum, qui eſt Diabolus & Satanas, & ligavit, & miſit eum in abyſſum, & clauſit, & ſignavit ſuper eum*, Sigillo ſanè pluſquam Hermetico. Fruſtra ergo Providentiam cauſantur adverſarii, quum Bonos Angelos, malis longè fortiores nobis curandis cuſtodiendiſque dederit Supremus rerum Dominus. Non eſt igitur quòd *Batavi* illius captiunculas moremur, nam (ut quod res eſt dicam) in ipſo regimine diabolico Dei Providentia ſpectari poteſt, imò maximè quandoque illuceſcit.

II. Quâ fronte Omnipotentiæ aut Miſericordiæ Divinæ dicam impingit *Belgicus* iſte Scriptor, cùm integra dæmonum cohors ſub Dei ipſius poteſtate in ſolidum ſit, & ab ejus nutu omnino pendeat? cùm Miſericors Pater, pro clementiâ & amore quo homines proſequitur,

dæmonum vim & ferociam ſupprimere dignetur? Fræno coërceri & certis limitibus cohiberi malignos ſpiritus ecquis haud fatebitur, cùm audiat Magos *Egyptiacos*, poſtquam aliquot *Moſis* miracula imitatione mentiti ſunt, nè *pediculos* producere valuiſſe, renuente Univerſorum Domino? Ex *Jobi* hiſtoriâ abundè conſtat penès Satanam eſſe nullum, quantumvis maximè voluerit, facinus exequi, niſi petitâ priùs nocendi facultate. *S. Petrum expetivit Satan, ut eum ut triticum cribraret*, teſtante Chriſto, hoc eſt, ut pro arbitrio concuteret, agitaret, conturbaret: verùm hoc illi denegatum fuit. Imò, nec illud oblivi-ſcendum eſt, niſi impetratâ à Domino Servatore veniâ, in porcos ingredi non potuiſſe dæmonia: ſic enim diſertiſſimè in Textu dicitur, *Deprecabantur eum omnes dæmones, dicentes, Mitte nos in porcos.* Ergo eos in *homines* graſſari & deſævire non niſi divino permiſſu & licentiâ par eſt ut credamus. Siquidem Divinæ Potentiæ vinculo reprimuntur, certiſque metis & terminis cir-

circumſcribuntur, ultra quos ferri non licet. Idcirco refragante Deo nihil aggredi, nihil abſolvere queunt: ſed è contra, ſummo rerum omnium Conditori ac Gubernatori, velint nolint, obſequium reddere coguntur. Itaque nullatenus imminutum eſt Divinum Imperium, ſed magis ſplendeſcit. Apage tunc iſtas è *Belgio* cavillas, nimis flaccidas & elumbes, ſat futiles & ſtramineas!

III. Non ſolùm Dei ſumma Poteſtas, ſed & Prudentia maxima & Juſtitia in hâc dæmonum permiſſione eluceſcunt. Cùm enim fidelibus, ſapientiſſimo Dei conſilio, *omnia in bonum cooperentur*, ſpirituum ſceleratorum operâ ſagax utitur, in hoc terreſtri ſtadio, ad piorum integritatem probandam, ad fidem & conſtantiam explorandam, ad naturæ noſtræ debilitatem indies detegendam, ad divinum robur manifeſtandum, ad ſocordiam, & ſegnitiem, ad torporem & veternum excutiendum, ad conſopitas vires excitandas, ad virtutes doteſque exer-

exercendas, nè ſcilicet deſides & ignavi in utramque (quod aiunt) aurem obdormiremus. Hâc ratione ſpiritus dæmonici Providentiæ & Sapientiæ divinæ miniſtrant, etiam præter & contra ipſorum volùntatem, Remigum inſtar, qui eò feruntur quò terga ſua obvertnnt. Inſuper, Deo viſum eſt ſic res adminiſtrare, ut divinæ Ultioni, & hominibus impiis plectendis inſervirent pravi illi & nefarii dæmones. Per hos tam in præſenti quàm futuro ſeculo ſupplicia de reprobis ſumit Nemeſis Cœleſtis, ipſorum peccatis id commerentibus. Lictorum ſeu Carnificum officio funguntur, næ juſtâ Dei vindictâ, angeli illi defectores. Τῶν πονηρῶν κολαστὰι à ſummo Numine conſtituuntur, juxta * Origenem. Ecquis igitur ſibi perſuaderi non patietur ipſos Dæmonas Providentiæ, tum beneficæ tum ultricis, miniſtros eſſe obſequentiſſimos, dum piorum commodo & utilitati inſcii & inviti ancillantur, dúmque Impiorum flagitia ſcientes ulciſcuntur, ac meritas illis pœnas ſponte infligunt?

* Contra *Celſ.* lib. 8.

Hoc

Hoc enim vel † ſolertiſſimæ eſt Sapientiæ, Malis ipſis opportunè uti poſſe, uti ſcitiſſimè ait *Syneſius*, de Dæmonibus Sermonem inſtituens. Quo fulcro ſagaciſſimus ille Præſul * Providentiam & Sapientiam divinam fundare & ſtabilire haud veritus eſt.

† Σοφίας ἐστὶν εὐμηχάνου, καὶ τοῖς κακοῖς ἐν δέοντι χρήσασθαι. Epiſt. 57.

* Αἱ κακοποιαὶ δυνάμεις ἐν κόσμῳ συντελοῦσι μὲν τῇ χρείᾳ τῆς προνοίας· κολάζουσι γὰρ τοὺς ἀξίους κολάζεσθαι. Ibid.

Atque hæc ad Adverſariorum noſtrorum proterviam retundendam, ad cavillationes ſuas diluendas, ad fallacias & offucias detergendas, denique ad palmarios ſuos ſcrupulos (revera paupertinos, leviculos, proletarios) eximendos ſufficiant. Sanè longiore refutatione digni non ſunt, ſiquidem palàm eſt eos non habere quicquam ponderis & momenti, aut hilum apud cordatos & ſanos viros proficere. Eat ergo nunc Batavus, & Dæmonas ex rerum naturâ exulare illico & evaneſcere, verùm irrito labore, jubeat.

Tandem ſupereſt ut, coronidis loco, quæ Officium noſtrum Chriſtianum ſpectant, breviter oſtendam. Primùm æquum eſt ut huic Veritati,

tati, de quâ nobis ſermo fuit, firmiter & animitus aſſentiamur, & fidem indubitanter adhibeamus, præſertim quia tam firmo tibicine nititur, manifeſtariis nimirum & apertiſſimis S. Scripturæ teſtimoniis, & univerſali omnium gentium & ætatum fide. Contumacis profectò ac præfracti animi indicium eſſet doctrinæ tot tantiſque Argumentis communitæ aſſenſum non præbere. Quin & doctiſſimo * *Limborchio videtur Angelorum negatio proximus eſſe ad Atheiſmum gradus.* Obnixè Deum precor nè Incrèduli & pertinaces iſti homunculi ſenſerint olim, & didicerint, periculoſo ac triſtiſſimo ſuo experimento, quàm vera ſunt iſta de quibus hodie pro ſuggeſtu diſſerui.

*Theolog. Chriſtian. l. 3. c. 20.

Rurſus, Cùm hæc ita ſe habeant, à Dæmonibus & Nefandis eorum perpetrationibus, quas ſuperiùs aliquatenus deſcripſi, abhorreamus. Artes quaſcunque Diabolicas, ut naturâ ſuâ exoſas & deteſtabiles, ut divinis & humanis legibus infeſtas, ut Evangelio præcipuè & Religioni

ligioni Chriſtianæ quàm maximè inviſas execremur. Quod ut feliciùs præſtemus, leviora delicta, quæ in aliquale cum impuris Spiritibus conſortium nos inducunt, devitemus; nè fortean majoribus viam ſternant, & paulatim ad pejora tranſiliamus.

Denique, nè prætervectum me eſſe ſinam ultra conſtituti Temporis limites, hoc poſtremum ex præmiſſis Corollarium deducere fas ſit, noſtri ſcilicet eſſe muneris, in hujus umbraticæ vitæ decurſu indeſinenter vigilare, perpetuas excubias agere, & conjuratiſſimos illos ſalutis humanæ Hoſtes aſſiduè præſtolari.

Nunc animis opus eſt, *nunc pectore firmo.*

Quoniam callidiſſimi ſunt Adverſarii quibuſcum nobis res eſt, totis viribus enitamur ut ab eorum dolis & machinationibus, à technis & fraudibus, ab inſidiis & ſtrophis præcavere valeamus. Oportet nos, noſtræ

noſtræ imbecillitatis conſcios, Deum quotidianis votis compellare, jugi & fervidâ oratione divinam opem expetere, expeditos & cataphractos in acie ſtare, *totâque Dei armaturâ* (ut hortatur S. *Paulus*) noſmet ipſos inſtruere. Ut paucis expediam, & tandem finem dicendi faciam, CHRISTIANI ſumus, ergo intemeratè ſervemus Fidem Catholicam & Veritatem Chriſtianam, ipſâque adeò Religionis noſtræ Myſteria, etiamſi excellentiâ & ſublimitate ſuâ ineffabili mentes noſtras opprimunt & percellunt, etiamſi ad claram eorum cognitionem non fas ſit pertingere. *Chriſtiani* ſumus, ergo grande illud Salutis & Reſtaurationis noſtræ Arcanum, per meritum Sanguinis JESU CRRISTI, debitè agnoſcamus, ſanctè revereamur, devotiſſimè amplectamur. JESU Diſcipuli ſumus, nomini igitur & profeſſioni reſpondeant Studia & Mores. Vivamus, Fratres, ſupra ſortem *Ethnicorum*, *Mahumetiſtarum*, aut etiam *Judæorum* qui Lege Moſaïcâ potiuntur. Ob oculos ſemper habeamus Servatoris

toris noſtri Exemplar, nunquam non Præſcriptis Evangelicis nos morigeros præſtemus, nunquam non vitam noſtram ad eam normam componamus. Sacro ſemel lavacro delibuti, nè nos in poſterum mundanis ſordibus inquinemus; hoc ſemper memoriâ recolentes, Divinum Chriſtianiſmi Autorem in hunc finem terras haſce viſiſſe, *ut opera diaboli diſſolvat*, 1 Jo. 3. 8. quod quidem magnâ ex parte jamjam præſtitit, & ſpes eſt fore ut ante noviſſimam Mundi periodum pleniſſimè id præſtiterit.

Ad hæc, ACADEMICI ſumus, ergò omnigenâ rei literariæ ſupellectile mentes noſtras excolamus, atque hoc ſeculum (quantum in nobis ſitum eſt) inſtruamus pariter & illuſtremus. Divinarum verò literarum, Sacrarum Scientiarum & Philoſophiæ Cœleſtis Studio nos alioſque inſtituì potiſſimùm curandum eſt. Id præcipuè enitendum ut rectas de *Deo* & *Religione* opiniones concipiamus: id magnopere cavendum nè ſprava & impia circa

res ſacras dogmata amplexemur, nè Philoſophando Sacram Scripturam corrumpamus, nè res Divinas humanis ratiociniis ſubjiciamus, nè Religionis Chriſtianæ Articulos placitis Philoſophicis metiamur, nè denum (ut nunc quidem eſt Temporis genius) ſub *Rationis* prætextu & larvâ longum *Fidei* Vale dicamus. Theologia noſtra non ex *Theoriſtarum* Hypotheſibus ad placitum fictis, ac ſacræ paginæ bellum minitantibus, ſed ex ipſo Sacro Volumine haurienda eſt. *Academici* ſumus, ergo nos ſobrios, prudentes, & vigiles præſtemus, Eruditionis & Morum divortium nullatenus ſuſtinentes. Solis in Libris hærere, ſolis Muſis oblectari pudeat: Religio & Numinis cultus cum Bonis Literis conjungantur. Doctrina & Pietas feliciter conſocientur: cum artibus & ſcientiis humanis Divina Virtus copulanda eſt.

Poſtremò, CLERICI ſumus, ergo Sacrum quod nacti ſumus Miniſterium exornemus; atque his maximè duobus, *Veritatem* nempe

&

& *Sanctimoniam* impenſiùs propagando. Priori operam dare perquàm neceſſe eſt, hâc præſertim ætate Errorum feraciſſimâ; in quâ omnia propemodum omnium ſeculorum deliria renaſcuntur, & quaſi poſtliminio revocari, & refloreſcere videantur: & eò pervicaciæ deventum eſt à nonnullis, ut ad partes ſuas Divinam paginam vel invitam trahere non erubeſcant. Habemus hoc ſeculo novitios *Lucianos*, *Celſos*, *Julianos*, qui non ſolùm veritatis Chriſtianæ fundamenta diriter convellunt, ſed, poſthabitâ omni Numinis reverentiâ, fidem & religionem noſtram dicteriis & ſcommatibus proſcindunt, atque naſo ſuſpendunt; Ea nempe eſt hodierna Ingeniorum petulantia & protervia: ea eſt nunc dierum hominum licentia & procacitas. Hiſce ergo temporibus, ſi quibus aliis, *Veritati* ſacrè litandum eſt. Nos divinis edocti Oraculis Theologiam non futilem, non precariam, non inſulſam, non ſpinoſam, ſed ſanam, ſolidam, pacificam, & Sacris Literis fundatam exoſculemur.

Alterum muneris noſtri membrum poſtulat ut Vitam Illibatam & Sanctos Mores quàm diligentiſſimè excolamus, & ut Pietatem hâc tempeſtate labaſcentem & nutantem erigamus. Animarum profectus & æterna ſalus nos intimè tangant & afficiant. Si quid hæc apud nos valeant (ſpero autem valere plurimùm) Operam omnem adhibeamus ut Studiis, Colloquiis, Scriptis, Concionibus, Exemplis, ſanctior indies & religioſior evadat populus: ſecùs, eruditè & laboriosè nugamur. Sacris initiati, Sacerdotii memores ſimus: tanto charactere & nomine, tam glorioſo & honorifico titulo digna faciamus. Cùm è *Clero* ſumus, atque tales haberi volumus & geſtimus, ſedulò ea exequamur quæ noſtri Ordinis viros decent. Regulis Evangelicis ad amuſſim fingamus mores, Chriſto & Eccleſiæ vivamus; hanc eſſe officii noſtri partem reputantes cum *Malorum Dæmonum* copiis quotidie certari, confligere, manus conſerere, tandemque feliciter eas profligare. Quò autem ad id agendum

agendum magìs excitemur accendamúrque, meminiſſe nos decet Dei ipſius præſidio, in hoc Certamine, adjutos nos eſſe. Quocirca, ſi animos haud deſpondeamus, ſed adversùs infernos generis humani hoſtes acriter & ſtrenuò bellum geramus, victi certè ac fugati terga dabunt, & nos Divinæ gratiæ auxilio ſuffulti lætam tandem Victoriam reportabimus. Quod perficere dignetur Deus *Pater* Omnipotens & Miſericors, cui unà cum *Filio* & *Spiritu Sancto* ſit omnis honor, laus & gloria in ætates ſempiternas. Amen.

Determinatio Quæstionis,

SCILICET,

Utrùm è Libris Canonicis Veteris & Novi Testamenti aliqui sint deperditi?

IN

SCHOLIS ACADEMICIS

CANTABRIGIÆ habita.

Quæſtio hodie diſcutienda ſic ſe habet,

An è libris Canonicis Veteris & Novi Teſtamenti aliqui ſint deperditi?

VARIIS modis, ac artibus planè diverſis Sacrarum Scripturarum integritatem ac perfectionem oppugnare auſa eſt impia quorundam hominum colluvies. Illas execrandis ſuis Erroribus vitiare atque contaminare conati ſunt *Hæretici*. Eas Traditionibus offuſcant *Papicolæ*, ſomniis & deliriis *Enthuſiaſtæ*, perverſis dubitationibus & ſuffugiis *Sceptici*: ac denique Sacrorum Librorum auctoritatem elevare ſatagit tota *Novatorum* gens, inter quos præcipuum locum vendicant, & quaſi palmam præripiunt *Spinoſa*, *Hobbeſius*, *Simonius*, *Rationis* (ſi placet) *Oraculorum* Autor infauſtus, & nuperrimè *Johannes* iſte *Clericus*, Clariſſimi D. *Hammondi* pariter &

Fidei Orthodoxæ flagellum, quo nemo duriùs & iniquiùs S. Literas tractavit. Utinam non tam prope ad illos acceſſiſſet ſcitus ille *Telluris Theoriſta*, qui claram & perſpicuam *Moſis* narrationem ad Primi Hominis formationem & lapſum ſpectantem, veluti fabuloſam & chimæricam ludibrio habet, ac unà cum *Celſo* & *Juliano* riſu & cachinnis excipit; ipſe magis iis excipiendus, dum ſtatuit *Adamum Allegoricè* peccaſſe & cecidiſſe, in Paradiſo ſcilicet Allegorico: & ipſe fortean Adamus, humani generis parens, pura puta erat Allegoria. Huic meritò adjungi debet alter ille *Theoriæ*, ſc. *Novellæ* fabricator, qui puto iſthoc conamine Mathematicus maluit videri quàm Theologus. *Moſem*, Philoſophorum facilè principem, flocci non facit, verùm eas cudit Hypotheſes (quantùm ego ſentio) quæ cum Moſaico Mundi Syſtemate, & cum divino illo *Sex Dierum* opere apertiſſimè & ex diametro pugnat. *Alphonſi* quaſi ritu hanc Mundi fabricam corrigit, & meliorem ipſe compagem erige-

ret.

ret. Summatim ut dicam, Vir ille, cæteroqui laudandus, ſtribligine ſuâ *Geometricâ* & *Principiis* (quæ vocat) *Mechanicis* ipſam *Geneſin* (ut mihi videtur) proſcribit, & Textum Moſaicum (ſicut & ipſum *Moſem*, utpote *Mitiſſimum*) omnibus deridendum propinat. Cui aſſocietur nuperus ille de *Chriſtianæ Religionis Rationabilitate* (ut præ ſe fert Titulus) Scriptor, qui *Epiſtolas Apoſtolicas* quaſi ſupervacaneas aut minùs neceſſarias (ſi ſcilicet fundamentales & ad ſalutem creditu neceſſarios fidei articulos illic reperire aut expectare velimus) ſuſque deque habet, atque ſpongiis delendas non invitus ſinit. Denique his aggregari meruit *Hibernus* ille, qui non tantùm Religionis noſtræ *Myſteria* audacter exploſit, ſed & S. Scripturæ *Canonem* occœpit vellicare. Sed ſi monitis noſtris aurem advertere dignaretur eruditus juvenis, hortator ei eſſem ut à tali molimine, quod Religionis & Antiquitatis Chriſtianæ faſtidium tam rancidè ſapit, manum prorſus abſtineret.

Eſt

Eſt & aliud genus Scriptorum, alioquin eruditorum & piorum, per quos Sacri Codicis integritas *imminui* ſaltem videtur, dum aliquot libros Canonicos furtim ſubductos eſſe, vel à tineis & blattis eroſos, ſeu quovis alio modo deperditos eſſe ſuſpicantur: adeoque ſi illis fas ſit aſſenſum præbere, jam mutilatur Codex Biblicus, & librorum ſacrorum Catalogus integer eſſe deſiit. Quod, quamvis vaniſſimum ſit commentum, apud Veterum tamen nonnullos, non minùs quàm Recentiorum, obtinuiſſe palàm eſt. Notiſſima eſt ſententia S. Patris Johannis Chryſoſtomi, quoſdam ſcilicet libros in S. Bibliis citatos, hoc eſt, *librum fœderis*, *librum bellorum Domini*, *librum Jaſher*, atque alios (qui pars Sacri Voluminis eſſe cenſeantur) olim periiſſe, nec ad manus noſtras deveniſſe. † Multa, inquit ille, ex Propheticis illis monumentis vel *Judæorum* negligentiâ & deſidiâ, vel inter crebras depopulationes, & Templi ac totius Urbis incendia evanuerunt. Cui ſuffragatur *Bellarminus*,

† Homil. 9. in S. Mat. Homil. 7. in 1 Epiſt. ad Corint.

larminus, & Sacrarum Literarum imperfectionem inde arguit; sic enim infert, † *Multi libri verè Sacri & Canonici perierunt, ergo non habemus, nec habuimus à mille & quingentis annis sufficientem doctrinam, si tota sita est in Scripturis.* Et alii è *Pontificiorum* & *Romanensium* grege, ad S. Scripturæ perfectionem sufflaminandam, nonnullos libros è Canone amissos esse vociferantur. Inter *Reformatos* quoque non desunt qui huic opinioni adstipulantur, ut inter Exteros *Calvinus*, *Musculus*, *Petrus Martyr*, inter nostrates *Whitakerus*, qui ultro concedit * *nonnulla jam desiderari quæ olim in Canone Scripturæ fuerunt*, quamvis addit, *illum Canonem qui remanet, esse sufficientem, & omnia necessaria continere.* Verùm pace tantorum virorum, tam literis quàm pietate celeberrimorum, omnes illos libros seu scripta quæ jamdudum periisse autumarunt, conabor hodie in solidum redimere ac recuperare. Quod præstitum dabo singulos illos libellos (ut vocant) quos perditos esse clamitant, pensiculatiùs

† De Verbo Dei lib. 4. cap. 4.

* Contra *Bellarmin.* Controv. 1. Quæst. 6. cap. 9.

tiùs ac intimiùs ſcrutando, & omnia Scripta quæ illis conclamata ſunt ad examen revocando.

Principium eſto à *libro* ſeu *volumine fœderis*, ita enim vocatur 24 Ex. 7. & 2 Reg. 23. 2. quod quidem amiſſum volunt aliquot non infimæ notæ Scriptores. Sed ſi hæc loca penitiùs inſpiciamus, nulla erit querelæ anſa, quandoquidem conſtabit *librum* illum *fœderis*, quem populo prælexit Moſes, fuiſſe Inſtitutiones & Præcepta illa quæ in capitibus præcedentibus recenſentur, quæque Deus ipſe *Moſi* tradidit, ut ea cum populo communicaret. Nam ad illa manifeſtò reſpiciunt populi Iſraelitici verba quæ protinus ſequuntur in priori illo loco, *Omnia quæ locutus eſt Dominus faciemus, & erimus obedientes:* hoc eſt, cunctis illis legibus priùs in capitibus 20, 21, 22, 23 recenſitis, & à Domino in monte traditis obſequium præſtabimus. Idcirco par eſt ut per *librum* ſeu *volumen fœderis* leges illas à Deo latas intelligamus. Hoc adeò perſpicuum eſt,

eſt, modò textum *Exodicum* conſulamus, ut ulteriore non indigeat explicatione, nedum illuſtratione. In altero verò loco cùm dicitur, *Rex Joſias legit cunctis audientibus omnia verba libri fœderis, qui inventus eſt in domo Domini*, perinde eſt ac ſi diceretur, pro concione recitavit populo leges Moſaicas, præcipuè forſan librum *Deuteronomii*, ſeu *Repetitæ Legis*, hanc enim apertè vult per *librum fœderis*. Quod veriſſimè à me dici quivis haud negaverit qui iſtud cogitare velit, nihil ſcil. eſſe diſcriminis inter *librum legis* & *librum fœderis*. Quod ſatis ex eo elucet, quod *liber legis* qui occurrit 2 Reg. 22. 8. diſertè nuncupatur *liber fœderis* capite proximo, commate 2°. Et appoſitè quidem; *Lex* enim ipſa, hoc eſt, legum Judaicarum volumen, ſeu Corpus Juris Moſaici inſignitur nomine *fœderis*, 4 Deut. 13. 29. 1, 9, & alibi, quia nimirum in hoc Volumine *Fœdus* ſeu *Pactum* illud quod Deus cum populo ſuo ſolenniter pepigit, ſpeciatim recenſetur. Quâ maximè de causâ æquum eſt

ut

ut *librum legis* & *librum fœderis* unum eundemque eſſe cenſeamus. Id rei ipſius ratio, id ſtylus Moſaicus, & idioma ſacrum à nobis poſtulant flagitantque. Quomodo ergo ex hoc loco probari poteſt Librorum Canonicorum numerum diminutionem aliquam pati?

Secundò, ſolet hìc objici *liber bellorum Domini*, 21 Num. 4, atque inter libros deperditos annumeratur. Cui regeritur à nonnullis ſcriptum hoc eſſe *Apocryphum*, adeoque ad S. Scripturam minimè pertinere. Sed hâc ſolutione neutiquam opus eſſe quivis meritò dixerit, ſi quæ mox allaturi ſumus æquo animo trutinaverit. Interim placet doctiſſimo Viro *Johanni Lightfoot*, in *Chronico ſuo Temporum Veteris Teſtamenti*, librum illum *bellorum Domini* ipſius Moſis fuiſſe, & à ſe proprio Marte compoſitum, juxta Dei mandatum, 17 Ex. 14. *Scribe hoc ob monumentum in libro, & trade auribus Joſuæ.* Unde colligit Vir ſummus librum hunc continere Regulas de Bello gerendo, quas

quas *Joſuæ* bellatori proficuas fore novit *Moſes*. Non ergo hunc librum inter Sacros & Divinos, ſed Politicos potiùs numerandum putat Vir Clariſſimus. Attamen, ſi liberè loqui liceat, quorſum ad hoc aſylum fugiendum ſit, nullus planè video; ſiquidem veriſimile eſt librum hunc, è prædicto loco citatum, unum eſſe ex receptis & Canonicis Veteris Teſtamenti Scriptis, nimirum eſſe librum illum notiſſimum *Joſuæ*, vel alterum illum *Judicum*, qui ambo rectè dicuntur *libri bellorum Domini*, quia bellicas iſtas expeditiones recitant, quibus Heroes illi *Judæi* à Domino excitati inclaruerunt. Vel *Milchamoth Jehovah*, bella Domini, ſunt magna & miranda bella ab Heroicis iſtis ducibus geſta: ſolet enim in ſacrâ paginâ nomen *Dei* ſeu *Domini* uſurpari ad exprimendam rei Magnitudinem & Excellentiam.

At quî fit, inquis, ut *Moſes* hæc recenſeat quæ poſt mortem ſuam perpetrata ſunt? quî fit ut ad bella *Judicum*, & ad ipſos libros *Joſuæ* & *Judicum* poſt ſe ſcriptos hoc in

loco referat? Perfacilè quidem & nullo negotio reſpondetur, Prædictio eſt Moſaica: quam & ipſe textus Moſaicus, ſi Hebraicum fontem conſulamus, ſatìs oſtendit, nam verbum occurrit in futuro, ſcil. יאמר *dicetur*; unde colligere promptum eſt hìc prædici futuram bellorum Domini Commemorationem apud populum Judaicum, nempe in libris Canonicis *Joſuæ* & *Judicum*, ubi literis conſignantur bella ſacra Judæorum, & ſpeciatim narratur quid *Dominus fecerit in mari Rubro, & in torrentibus Arnon*, de quibus geſtis diſertè loquitur prædictus locus *Numerorum*, & ad quæ proculdubiò refert undecimum caput *Judicum*, v. 16, 17, 18. Hæc genuina eſt, hæc germana loci interpretatio. Unde quàm ſit frigida *Aben Ezræ* (citante † Druſio) conjectiuncula videre eſt, ſcil. *librum bellorum Domini fuiſſe juſtum ſeu integrum volumen quod à diebus Abrahami extitiſſet, in quo deſcripta fuere bella Domini:* quod quidem periiſſe, & apud nos non inventum eſſe affatim dolet Doctor Hebraicus.

† In *Henoch.* c. 27.

At

At revera nullâ de cauſâ, nam, ut ex ſupradictis conſtat, ægrè ex hoc loco elici poteſt S. Scripturæ *Canonem* mutilatum eſſe, aut aliquam ejus partem excidiſſe.

Deinceps, de alterius libri interitu, *libri* ſc. *Jaſher*, de quo legimus 10 Joſ. 13. & 2 Sam. 1. 18. querimonia eſt apud alios Scriptores, eoſque non minorum gentium. Si de tempore interitûs quæramus, reſpondent R. Levi & R. David (referente * Druſio) periiſſe illum in deportatione *Babylonicâ*. At ἀξιωμα à Doctoribus quibuſdam clamatum eſſe audio: altâ enim voce librum *Geneſeos* hunc eſſe prædicant, ibi enim recenſentur *Abrahami Iſaaci, Jacobi*, & cæterorum Patriarcharum geſta, qui per eminentiam *Jeſharim*, i. e. *Juſti* ſeu *Recti* cognominati fuerunt. At hæc levicula ſunt & ſiculnea, viriſque naſutis vix ſatis, ut opinor, facient: par enim eſt ratio aliorum librorum, nam in illis geſta ישרים *juſtorum* commemorata & deſcripta ſunt, ac proinde eundem Titulum merentur. Doctiſſimus noſter *Light-*

* In *Henoch.* c. 28.

foot alio tramite incedit, atque nihil diſtare *librum Jaſher* à *libro bellorum Domini* exiſtimat: at hoc, meo judicio, nullo nititur fundamento; quamvis enim *liber Jaſher*, prout in præfato capite *Joſuæ* citatur, particularem de ſolis lunæque curſu cohibendo narrationem continet; minimè tamen innui videtur bella *Iſraelitarum*, quæ nomine *bellorum Domini* decorantur, ibidem recenſeri. Excellentiſſimi *Hugonis Grotii* conjectura eſt (ut ſanè fœcunda eſt Scriptorum inventio) librum *Jaſher* eſſe Poema Triumphale, in quo, Carminis gratiâ, ישראל in vocabulum ישר contrahebatur: ſed hoc tanti viri Ingenium (quo nulli cedit) potiùs quàm Judicium redolet; non enim veriſimile eſt fore, ut vox illa *Iſrael* ſic inuſitatè decurtata, mirumque in modum contracta, bis, hoc eſt, tam in libro *Joſuæ* quàm in ſecundo *Samuelis* libro uſurparetur. Librum eſſe neſcio quem ex Hymnis & Canticis conflatum aſſerit * Profeſſor *Pariſienſis*; ſed pudet hoc dixiſſe, non probaſſe, multiplicis erudi-

*Hiſt. Can. Script. V. & N. T. cap. 1.

eruditionis Virum. Equidem miror has apinas & nænias viris doctis placuiſſe poſſe.

His omnibus ergo repudiatis, ad veritatem proximè accedere videtur Celeberrimi *Joſephi* ſententia, quam protulit quinto *Antiquitatum Judaicarum* libro, capite primo, librum ſc. *Jaſher* publicum fuiſſe quoddam * Scriptum ſeu Commentarium in Templi Archivis repoſitum & aſſervatum, quo contineri ſolebant Acta Judæorum atque omnes eventus celebres. Sed nè hilum muſſitat Archæologus ille de Sacro *Canone*, cujus utpote nulla pars fuit liber iſte. Erat autem Hiſtoria Publica ſeu Annalium liber, qui res memoratu dignas continebat: quod ex locis modò citatis conjicere promptum eſt; nam liquet ex illorum priore portentoſam ſolis & lunæ (*Telluris* dixiſſent Neoterici) quietem in iſthoc libro *Jaſher* enarrari, *Nonne ſcriptum eſt in libro Jaſher, ſtetiſſe ſolem & lunam in medio cœli, & non feſtinarunt occumbere ſpatio unius diei & unius noctis?*

* Τὰ ἀναγεγραμμένα ἐν τοῖς ἱεροῖς γράμμασι.

noctis? Ex poſteriore verò loco conſtat leges & regulas de *Arcu*, h. e. de Diſciplina Militari, juxta Davidis præcepta, iſtis in Chronicis memorari, *Præcepit David ut docerent filios Judæ Arcum, ſicut ſcriptum eſt in libro Jaſher. Keſheth* enim, i. e. *Arcus* non eſt *Cantici Titulus*, ut *Mariana* vult, & ab illo *Gregorius* Oxonienſis (Vir aliàs reconditâ Literaturâ celebris) ſed eſt Ars Sagittandi. Quoniam enim *Saul* & *Jonathan* & optimi quique Sagittarii in nupero bello ceciderunt, juſſit Rex, Bellator Prudentiſſimus, ut Judæi *Arcum* flectere diſcant, ut arma peritè tractent, ut exercitio militari ſe aſſueſcant. Quæ hunc in finem hìc adducuntur, ut videamus *cujuſmodi* præcipuè res in Annales illos Judaicos relatæ fuerint, nimirum Eventus ſolùm mirabiles, & actus memorabiles qui ad res civiles ſpectabant: ac proinde probabile eſt annales illos fuiſſe Civiles, non Sacros; Politicos, non Divino afflatu conſcriptos; & propterea Librorum Canonicorum numero neutiquam accen-

accenſendos eſſe. Talis erat *liber Jaſher*, Commentarius erat Forenſis, non Eccleſiaſticus, nedum Divinus, & Deum autorem habens. Tales fuerunt Annales *Perſici*, 2 Eſth. 23. 9. 32. 10. 2. nam quicquid Perſis notatu dignum accidit, in Commentarios ſeu Acta Publica retulere: quæ licèt à Scriptore Canonico citantur, non tamen ſunt Canonica.

At ſi quæras quare iſti Annales Judaici dicti fuerint *liber Jaſher*, i. e. *Recti*, reſponſio eſt in procinctu; id nominis ſortiuntur quia Judæorum res geſtæ ſummâ cum rectitudine & integritate publicis his tabulis conſignatæ fuere, atque inde hæc Collectio pro Authenticâ & Fideliſſimâ hiſtoriâ ſemper habita eſt, & communiter appellata eſt *Liber* ſeu *Chronicon Jaſher*. Et ſi in mentem revocemus vocabulum *jaſher* in plurimis locis libri *Job* à Septuaginta Senioribus verti ἀληθινὸς, atque meminerimus porrò voces ישר & אמת *veritatem* & *rectitudinem*, ut ſynonymas ſimul reperiri

in 111 Pſal. 8. ulterior erit opinionis noſtræ confirmatio, quia ſic *liber Jaſher* & *liber verus* ſeu *certus* æquipollent. Nihil igitur hinc quiſquam inferre poteſt niſi quod res Judaicæ, præſertim quæ fuerant magni momenti, verè & rectè in Annales publicos adſcriptæ fuere. At quis, quæſo, hunc libellum ſcriptis Sacris & Divinis annumeari juſſit? Nemo certè. Quocirca non parum à vero ipſi aberrant qui hos annales in Canonem Sacræ Scripturæ cooptarunt, atque exinde libros ſeu librum ſaltem Canonicum interiiſſe volunt.

Porrò ad libros deperditos quidam referunt *Regis Oziæ ſermones priores & noviſſimos ab Eſaiâ prophetâ ſcriptos*, 2 Chron. 26. 22. Scio equidem quid de his ſermonibus ſenſerit Regius Profeſſor *Pariſienſis* modò laudatus, in *Bibliothecâ* ſuâ: * Probabile eſt, inquit, non divinâ inſpiratione exaratos fuiſſe, adeóq; ad Canonem non pertinere. At inconſultò, ſi quid ego judicem, hæc dicta ſunt à Viro Celeberrimo

* In Diſſertatione Prælimi-nari de Autorib. S. Biblior.

in

in Aureo ſuo libello, nam *Sermones* illi de quibus loquitur textus ſunt ea pars vitæ & hiſtoriæ iſtius Regis quam hodie habemus in libro Eſaiæ. Hoc eſt, in ſex prioribus ejuſdem libri capitibus ea recitantur quæ in diebus Regis *Oziæ* afflatu prophetico vidit, audivit, prædixit Eſaias. Hoc vult divinus ille *Chronicorum* Autor, cùm dicat *reliqua ſermonum Oziæ priorum & noviſſimorum ſcripſit propheta.* Incipit enim ejus prophetiæ primum caput cum *diebus Oziæ*, & ſextum cum *anno quo mortuus eſt Ozias.* Scripti ergo manent *Oziæ* ſermones priores & noviſſimi, & nulla hìc eſt libri jactura ſeu amiſſio. Hoc ſufficit, ut opinor, ad præſentem ſcrupulum abolendum.

Rursùs, ex libro *Chronicorum* priore, capite viceſimo nono, commate parili, ubi mentio fit non ſolùm *libri Samuelis videntis*, ſed & *libri Nathan prophetæ*, & *voluminis Gad videntis*, aggreſſi ſunt aliquot viri non indocti defectum librorum Canonicorum probare, ſi-

quidem libri *Nathan* & *Gad* nuſquam extant hodie. Sed malè ſic arguitur, quoniam hoc duntaxat ex ſupra citato textu colligi poteſt, (quod & ipſa eſt ſolutio difficultatis quæ jam præ manibus eſt) duos illos viros *Nathan* & *Gad*, unà cum *Samuele*, librorum qui ſub nomine *Samuelis* eduntur, ſcriptores fuiſſe: & quia Hiſtoria iſta ab his tribus fuerit exarata, ideo quaſi tria diſtincta volumina hìc memorantur. Verùm, ſi accuratè loqui velimus, illi duo libri qui nomen *Samuelis* in fronte gerunt, partim ejuſdem *Samuelis*, partim *Nathan* & *Gad*, qui *Samuelis* erant ſuperſtites, opus erant. In fumum ergo abit * *Druſii*, eximiæ eruditionis viri, aliorumque de libris *Nathan* & *Gad* temeraria nimis opinio.

* In *Henoch* c. 29.

Idem fere ſentiendum eſt de *libris Abiæ Silonitis*, & de *viſione Iddo videntis*, 2 Chron. 9. 29. (quæ poſterior *Midraſh* vocatur, *Chronicorum* itidem I. cap. 13. v. 22.) & de *libro Semaiæ prophetæ, in quo opera Roboami ſcripta ſunt*, 2 Chro. 12. 15.

Quæ

Quæ quidem ſingula ſunt librorum *Regum* diſtinctæ partes, quamvis hìc quaſi diſtincti libri nominantur, idque ob hanc rationem, quia prædicti illi loci agunt de individuâ illâ Hiſtoriæ portiunculâ, ſcilicet de *Solomone* & *Roboamo*, quam particulares illi Prophetæ *Abias* & *Semaias* ſcripſere. Hoc itaque ſcitu & notatu apprime dignum eſt (etiamſi id perpauci tenent) quòd à pluribus viris, nimirum *Samuele*, *Nathan*, *Gad*, *Abiâ*, *Iddo*, *Semaiâ*, & forſan aliis ſanctis Prophetis Hiſtorica hæc pars Veteris Inſtrumenti collecta fuit, & ſcriptis mandata. Quod verum eſſe facilè dignoſces ex antea partim citato primo *Chronicorum* libro, cap. 29. commate eodem, *Geſta autem David regis priora & noviſſima ſcripta ſunt in libro Samuelis videntis, & in libro Nathan prophetæ, atque in volumine Gad videntis:* unde clarè & dilucidè patet hos libros ſeu hæc volumina eſſe Collectionem à diverſis Prophetis concinnatam, h. e. à *Samuele*, *Nathan*, *Gad*, & aliis. Verùm quia *Samuel* inter hos pios viros potiſſimùm

mùm claruit, quippe primi ordinis gradûs Propheta fuit, atque erat cæteris provectior ætate, & quia librorum iſtorum bona pars de *Regibus Judæorum* agit, idcirco *libri Samuelis* & *libri Regum* ab Hebræis appellati ſunt. Quoties verò particularis aliqua horum librorum portio à *Samuele* vel à *Nathan* vel ab alio Prophetâ ſcripta in *Chronicorum Sacrorum* libros inſeritur, ut ſæpe fit, de illâ loquitur Spiritus Sanctus tanquam de diſtincto S. Scripturæ libro; etiamſi hoc ſolùm vult diſtinctam eſſe partem ſeu membrum talis hiſtoriæ, & à particulari illo Autore ſcriptam & digeſtam eſſe. Fruſtra itaque clamant & obſtrepunt nonnulli (inter quos clareſcunt *Druſius* & *Epiſcopius* magni nominis Scriptores) libros à *Nathan* & *Gad* compoſitos, ſicut & libros *Iddo*, *Abiæ Silonitis*, & *Semaiæ* periiſſe, cùm profectò in S. Bibliis jam extant; ſunt enim *Samuelis* & *Regum* librorum partes. Cæterùm, quia in Catalogo Auctorum Veteris Teſtamenti librorum, nomina eorum ab *Ezrâ* ſupprimuntur,

muntur, idcirco mancos & amputatos, aut planè amiſſos eſſe aliquot Scripturæ libellos ſuſpicantur nonnulli. Verùm auſim affirmare omnes æquos rerum æſtimatores ab hâc ſuſpitione liberos eſſe.

Reſtant & alia Scripta Biblica (ut ſibi fingunt quidam) quorum miſera jactura ploratur. Quales ſunt *Sermones Hozai* ſeu *videntium*, 2 Chron. 33. 19. *libri Actorum* ſeu *verborum dierum Solomonis*, 1 Reg. 11. 41. *verba Jehu filii Hanani*, 2 Chron. 20. 34. Sed de ſingulis hiſce libris (ſi modò libros fas ſit vocare) hoc primò probetur, à Spiritu Sancto ſeu viris cœlitus afflatis dictatos fuiſſe : quod nos prorſus inficiamur. Atque hoc ipſum urgeri videas à S. Patribus, ab *Auguſtino* præcipuè, qui ſic diſtinguit, * *Scriptores*, inquit ille, *alia ſicut homines tradunt hiſtoricâ diligentiâ, alia ſicut Prophetæ inſpiratione divinâ.* Hoc ergo ſatìs nobis faciat quòd non omnia quæ à Prophetis & Sanctis Viris ſcripta ſunt, Canonica dici poſſunt & Divina, quia

* De Civ. Dei, l. 28. c. 38.

quia quædam non ut divinitus inſtincti, ſed ut meri Hiſtorici literis mandarunt. Ad hæc poſterioris ſortis, in locis illis noviſſimè citatis, reſpicitur: & quamvis hiſce temporibus haud extant ea ſcripta, Scriptura tamen Sacra non ex eo manca & imperfecta dici poteſt; quippe non à Spiritu Sancto tradita erant, ſed humanitus tantum, inſtar Annalium Publicorum, ſuggeſta & conſarcinata fuere. Equidem mihi perſuadeo hoc omnibus perſpicuum videri qui velint id unicum obſervare, videlicet librorum *Regum* Autores ad volumen *Chronicorum Regum Judæ & Iſrael* referre ſolere; in eo tamen volumine quod in S. Canone iſto titulo inſignitur, non reperiri res aut geſta de quibus loquuntur, ut apertè cuivis conſtabit locos iſtos 1 Reg. 16. 5, 20, 27. 22. 39. 2 Reg. 14. 28. 15. 21, 26, 31 conſulenti. Ex quo ſequela eſt irrefragabilis per *Chronicorum librum* in Canonicis *Regum* libris allegatum non ſemper intelligi *Chronica Biblica* ſeu *Paraleipomena*; nam (præterquam quòd tunc temporis

poris hæc vix extitere) eorum quæ interdum in libris *Regum* citantur, nulla in his ſcriptis fit mentio. Fuerunt igitur apud Judæos *Chronica* duplicis generis, hoc eſt, vel à viris Hiſtoricis tantùm, vel à Numine afflatis congeſta. Prioris generis fuiſſe iſta *Hozai*, *Solomonis* & *Jehu* ſcripta, de quibus jam ſermo eſt, æquum eſt ut credamus: erant utique iſti libri Acta Publica, ſeu Annales Civiles, qui ad corpus Scripturæ Canonicæ nullatenus pertinent, quia à viris ſacro impulſu concitatis, putà eo tempore cùm iſta ſcripſerint, exarati non erant. Et ideo licèt perdi dicas ea ſcripta, *Canonici* tamen libri neutiquam imminuuntur. Hinc etſi Magnus ille *Whitakerus*, Eccleſiæ Romanæ Malleus, & Doctiſſimus *Willetus*, & alii è popularibus noſtris; ſicut & Extranei quidam, ut *Calvinus* & *Beza*, horum librorum interitum fatentur, nihilominus perfectum eſſe Scripturæ Canonem agnoſcunt. Quod quidem meritò & jure facere queunt, quoniam hoſce

ce libros nullam eſſe Canonis partem, nullum Sacri Voluminis membrum conteſtantur.

Poſt hæc omnia illud adjiciatur, querelam de amiſſis quibuſdam S. Scripturæ libris interdum oriri ex verbo *Sepher* perperàm intellecto, quod Latinè redditur *liber*, ſed inter *Hebræos* eſt vocabulum inſignis latitudinis, & rei cujuſvis brevem ſolummodo commemorationem ſeu recitationem ſæpe denotat, ut videre eſt 5° *Numerorum*, 23, & * 18 Joſ. 9. 1 Sam. 10. 25. 9 Eſth. 20. 30 Eſai. 8. 32 Jer. 12, 14. compluſculis * aliis in locis. Et aliquoties *genealogia* tantùm intelligitur, ut 5 Gen. 1. *Sepher*, h. e. *liber generationis Adami*. Cui reſpondet primi S. *Matthæi* verſiculus primus, βίβλος, i. e. *liber generationis Jeſu Chriſti*, nimirum brevis recenſio ſeu enumeratio eorum à quibus Servator noſter genus duxit ſecundùm carnem. (Et hæc propria eſt vocabuli *Sepher* denotatio, à *Saphar*, *numerare*, *recenſere*, unde dimanavit *ſiphra* vel *ciphra*, quæ in Numerando & Supputando ſolet adhi-

adhiberi; vox ſanè, quamvis originis Hebraicæ, in quibuſcunque ferè Linguis uſitata.) Ad hoc minimè advertentes viri quidam docti, nonnullos S. Codicis libros periiſſe putarunt, quia juſtos libros *Jehu* putà, vel *Hozai*, vel *Actorum Solomonis*, &c. inter manus hominum verſari nunc dierum non vident. Hoc oritur, inquam, ex lævâ interpretatione verbi *ſepher*, quod aliquando idiomate Hebræo non eſt juſtum volumen, ſed brevis quædam ſchedula, ſeu ſcriptum quodlibet levidenſe quo aliquid breviter enarratur aut recenſetur. Ita ſcriptorium venditionis emptioniſque Inſtrumentum *liber* vocatur 32 Jer. 10, 11. Et *liber repudii* legitur 50 Eſai. 1. & 3 Jer. 8. Sicut & *Græca* vocabula βίβλος & βιβλίον (quæ reſpondent Hebræorum *ſepher*) aliquando *Epiſtolam*, vel id genus ſcriptionem indicant, ut in *Ignatii* Epiſtolâ ad *Epheſios*, & aliis Autoribus liquet. Sic δισμυρίαι βίβλοι, quæ *Mercurio Triſmegiſto*, ab * *Jamblicho* adſcribuntur, fuere revera tot-

* De Myſteriis.

† *T. Gale Notæ in Jamblich.* idem λόγῳ, ut rectè notavit † Vir Doctus.

Ad *libros* quod attinet *Solomonis*, qui jam deſiderari dicuntur, reſpondeo primò, In priore libro *Regum*, cap. 4. commatibus 32 & 33, unde Objectio ſumitur, nè τὸ quidem reperiemus de *libris Solomonicis:* non enim dicitur, Solomon ſcripſit, ſed *loquutus eſt tria millia parabolarum.* Quæ verò literis commiſſæ fuere, & meritò pars *Canonis* cenſendæ ſunt, eæ profectò in libro *Proverbiorum*, quem habet hodie Eccleſia, continentur. Neque dicitur, *Solomon* ſcripſit, ſed *diſputavit de arboribus, & diſſeruit de jumentis & avibus, & reptilibus & piſcibus*, i. e. eruditè & piè de his rebus philoſophatus eſt, atque adeò *Regiam* quandam *Societatem*, ad ſcientiam naturalem promovendam & propagandam primus maturè fundavit pariter & inſtruxit. Sed quid, obſecro, hoc ad *libros Solomonicos*, quorum nec volam nec veſtigium reperire licet? Deinde,

ſi

ſi concedamus chartis conſignata fuiſſe eloquia iſta, quæ jamdudum perierunt, hoc tamen rem noſtram minimè attingit, quia Scripturæ Canonicæ partem nemo ea rectè dixerit. Diſquiſitiones illas de Plantis & Animalibus ad Philoſophiam ſeu Hiſtoriam Naturalem veriùs referendas cenſeas: ac proinde ſolùm Philoſophis ploranda eſt earum jactura, ſi modò ſit jactura. Nam forte ſcripta illa *Solomonis* eadem fere ſunt cum libris *Ariſtotelis* & *Theophraſti* de *Animalibus* & *Vegetalibus*, quibus tantum ſibi nomen & famam comparârunt. De *Ariſtotele* præſertim hoc fide dignum exiſtimo, quandoquidem illum legimus magnum fuiſſe Plagiarium, atque volumina illa unde opiniones ſuas exſcripſit, flammis commiſiſſe, aut aliter è medio ſuſtuliſſe. Hoc ſi verum ſit, probabile eſt libros illos *Solomonis* quibus Animalia & Plantas deſcripſit, in prædictorum Scriptorum chartis jam nunc extare, & quotidianis manibus teri. Quod ſpectat ad *Carmina* Solomonis, quæ

in eodem loco juxta *Vulgarem* Verſionem *quinque millia*, ſed potiùs, ſecundùm textum Hebraicum, *mille & quinque* fuiſſe dicuntur, unum tantùm ex illis (*Pſalmum* quadrageſimum quintum ſi fortè demas) ad nos devenit, quia nempe hoc unicum (ſc. *Canticum Canticorum*) à S. Spiritu profluxit, atque eâ de causâ præ cæteris dignum viſum fuit, quod in Canonem relatum eſſet, in quo nulli prorſus ſunt libri præter divinitus inſpiratos. At illi de quibus nunc loquimur, humano ingenio, non divino impulſu ſcripti fuerant. Librorum ergo Canonicorum nulla eſt hìc perditio, diminutio nulla.

Hactenus de Veteri Teſtamento egimus: nunc propero ad ea loca quæ in Novo citantur, quaſi ex Veteri deſumpta eſſent: non tamen illic inveniuntur hodie, ergo intercidunt. Exempli causâ Proferunt Adverſarii ſecundi capitis S. Matthæi viceſimum tertium comma, *Ut adimpleretur quod dictum fuit per prophetas, quoniam Nazarenus*

renus vocabitur. Nullibi verò, aiunt, à Prophetis in Veteri Teſtamento dicitur de Meſſiâ, *Nazarenus*, ſeu *Nazaræus vocabitur*, ergo locus ille evanuit, & fortaſſe liber cujus pars erat. Imò, ipſe * *Chryſoſtomus* exiſtimavit hæc verba ex volumine quodam Sacro deprompta eſſe, quod vel Judæorum negligentiâ & incuriâ, aut temporis injuriâ interiit. Reſpondeo, Si per *Prophetas* hìc intelligas viros propheticos qui vaticinia ore tantùm tradiderunt, at ea non ſcripſerunt, tunc fruſtra hinc colligis *libros* deperditos, quia nulli fuerunt. Aut ſi per *Prophetas* velis Scriptores ſacros, oſtendi poteſt quòd quicquid illi olim prædixerunt, etiamnum in ſcriptis ſuis reperire eſt. Plerique Veterum Patrum, ſicut & Clariſſimus noſter *Hammondus*, hæc Evangeliſtæ verba ad locos Veteris Teſtamenti rejiciunt, ubi CHRISTUS vocatur *Netzer* 11 Eſai. 1. 60. 21. quamvìs nè tantilla ſit inter *netzer* & *Nazaræum* cognatio. *Tertullianus*, *Euſebius*, *Hieronymus* exiſtimant S. *Matthæum*

* Homil. 9. in *Matthæum.*

alluſiſſe ad *Nazaræos* illos qui apud *Judæos* votivæ ſanctimoniæ nomina dederunt, quia *Meſſiam* talem fore, h. e. ſanctum & ſeparatum prædixit Sacra pagina. Quam ſententiam Eruditiſſimus *Grotius* calculo ſuo comprobavit, & *Nazaræum* refert ad verbum *nazar* ſeparavit, unde nomen *Nazaræorum*. Evangeliſtam autem ſpeciatim reſpicere ad *Judicum* decimum tertium, v. 5, ubi de *Samſone* prædictum eſt, *Erit Nazaræus Dei ab infantiâ ſuâ*, conjicit *Cl. Huetius*, qui tam divinas quàm humaniores literas non perfunctoriè ſalutavit. Verùm enim verò, ſingulæ hæ interpretationes, quamvis à doctiſſimis viris approbantur, ſunt prorſus à re illâ, de quâ S. *Matthæus* verba facit, alienæ. Nam, ut rem ipſam teneamus, obſervatu dignum eſt quemadmodum introducitur Vaticinium illud ab Evangeliſtâ, *Veniens habitavit in civitate quæ vocatur Nazareth, ut adimpleretur quod dictum eſt per prophetas, quoniam Nazarenus vocabitur.*. Ubi palam eſt *Nazarenum* reſpectum habere

habere ad *Nazareth* civitatem *Galilææ*, & Chriſtum *Nazarenum* vocari quia iſtius loci incola erat. Et tunc quidem (ſiquid mihi naris eſt) revera adimpleta fuit hæc prædictio [*Nazarenus vocabitur*] cùm Dominus noſter per contemptum & ludibrium *Galilæus* nuncupatus eſt, cùm Chriſtiani *ſecta Nazarenorum* audirent, 24 Act. 5. cúmque Chriſtus & Aſſeclæ ejus titulis defamatoriis ac publicis ſcommatibus traducerentur. Et quamvis hæc individua verba, *Nazarenus vocabitur*, inter Veteris Teſtamenti prophetias nuſquam extant, nihilominus ſenſus & mens verborum illic inveniuntur, ut luculenter probavi in Diſſertatione vernaculo idiomate ſcriptâ, & non ita pridem publici juris factâ, ubi locum illum S. *Matthæi* deditâ operâ & deſtinato conſilio pertractavi. Neque ſanè hactenus quicquam audiendo aut legendo reperi, quod ab iſtoc interpretamento recedere me minimâ ex parte ſuadeat. Hoc itaque penſo impræſentiarum ſupersedere fas eſto.

Alter locus ſic ſe habet, *An putatis quòd inaniter Scriptura dicat, Ad invidiam concupiſcit ſpiritus qui habitat in nobis?* 4 Jac. 5. Quæ verba nullibi in S. Scripturâ occurrunt, ergo quædam pars Canonis excidit. At inquit nobile par *Annotatorum*, ſpectat hìc Apoſtolus ad 6 Gen. 3. *non permanebit ſpiritus meus in homine* (vel potiùs, *non contendet ſpiritus meus cum homine*) quaſi his verbis reſponderent illa, *Ad invidiam concupiſcit ſpiritus qui habitat in nobis.* At hæc meræ ſunt argutiæ & nugæ feſtucariæ, nam quamvìs à Doctiſſimis Viris excogitatæ ſint, nullo tamen fundamine ſuſtentantur niſi illo verbo Hebraico לחן ſecus quàm oportuit intellecto. Viſum eſt *Ludovico Cappello*, de bonis literis optimè merito, Apoſtolum per modum Interrogationis interpretari, & verba ſic legere percontativè, *Spirituſne, qui habitat in nobis, ad invidiam concupiſcit?* & propterea hunc locum refert ad 11 Num. 29. *Quid invides pro me?* At, ut nihil dicam de interrogatione interrogationi

tioni ineptè & inſulsè ſuperadditâ (quâ ſtylus Apoſtoli mirum in modum perturbatur, quâ ſermo laciniosus fit, ac durior & impeditior redditur) Coacta hæc eſſe & Obtorta ecquis haud pronuntiet, cùm nullam eſſe inter hæc Scripturæ loca cognationem, commercium nullum planè viderit? Simplicior & apertior, licèt non verior, eſt expoſitio Cl. *Knatchbul*, nobilis & generoſæ indolis, non minùs quàm proſapiæ Viri, qui vult hæc verba ex illis Prophetarum ſcriptis deſumpta fuiſſe quæ nunc deſiderantur. Sed egregiè hallucinari videtur hâc in re artis Criticæ peritiſſimus, nam ad particularem V. Teſtamenti textum non remittit nos hoc in loco Divus *Jacobus*, quaſi hæc ipſiſſima verba quæ ab Apoſtolo hìc citantur illic extarent; ſed tantùm tradit quod locutione *generali* in Veteri Teſtamento proponitur, ſcil. naturam humanam vitiari & corrumpi, & ad *invidiam*, non minùs quàm alios affectus malos, proclivem eſſe. Cùm enim dicitur, *ad invidiam concupiſcit Spiritus*, non de Spiritu

Divino, ut *Epiſcopius*, aut à Deo hominibus dato, ut *Grotius* ſentit, intelligendum eſt, ſed de ſpiritu illo pravo, ſeu affectione malignâ quæ *in nobis*, hoc eſt, in vitiatâ naturâ noſtrâ rectè dicitur *habitare*, juxta illud Apoſtoli, *quod habitat in me peccatum*, 7 Rom. 17. Hic ſpiritus in nobis inſitus concupiſcit ad invidiam pariter & cunctos pravos appetitus, atque omne genus vitiorum. Hæc mens, hic ſcopus eſt totius penè Veteris Teſtamenti. Et ſi ad particularem aliquem locum alluſerit Apoſtolus, ille utique eſt, ut conjicio, ſexto *Geneſeos*, 5°, *Cuncta cogitatio cordis hominum intenta eſt ad malum omni tempore:* aut ille alter, octavo capite, commate viceſimo primo, *Senſus & cogitatio humani cordis in malum prona ſunt ab adoleſcentiâ ſuâ.* Et paſſim in aliis locis loquitur Scriptura de cupiditatibus pravi & vitioſi illius Spiritûs qui in nobis incola eſt, quo nempe à teneris unguiculis ad malevolentiam proclives ſumus, ad invidiam & malitiam incitamur miſelli homunciones.

Non

Non autem mirandum eſt ipſa Apoſtoli verba in Veteris Scripturæ Canone non reperiri, illorum enim Scriptorum mentem exprimit, non voces; quippe in animo illi erat hìc proſerre quod ab eorum eloquiis deduci potuit, non quod diſertè & expreſsè dixerint.

Non abſimili modo intelligendus Servator noſter, 11 Luc. 49. *Propterea Sapientia Dei dixit, Mittam ad illos prophetas & apoſtolos*, & quæ ſequuntur. Nuſquam legenda ſunt hæc verba, *Mittam*, &c. at plurima prophetarum loca huc ſpectant: & licèt non eaſdem voces, eundem tamen ſenſum & ſcopum deſignant.

Idem judicium ferendum eſt de quinto ad *Epheſios*, decimo quarto, *Propter quod dicit, Surge qui dormis, & exſurge à mortuis*, qui locus, arbitror, non ſumi debet de particulari ullo textu, ſed ſolùm de verbis ejuſdem ſignificationis: quamvìs haud neſcio Doctiſſimum *Hammondum* hunc locum retuliſſe ad

ad 60 Eſaiæ 1: ſicut & alios Interpretes ad quinquageſimum primum ejuſdem Prophetæ, verſum nonum: verùm enim verò neque ipſa Apoſtoli verba, neque talia (ut eloquar quod ſentio) apud illum Scriptorem invenire eſt.

Sunt qui alios locos corradunt, & ſpeciatim proferunt viceſimum *Actorum*, triceſimum 5um, *Oportet meminiſſe verborum Domini Jeſu, quoniam ipſe dixit, Beatius eſt dare quàm accipere.* Quod Chriſti effatum difficile eſt oſtendere in Evangelio: verùm etiamſi diſertis verbis non exprimitur, colligi tamen poteſt ex ſcriptis Evangelicis. Hæc accipite, ſultis, juxta mentem eruditorum quorundam Virorum: ſed ut illis aſſentiar nondum à me impetrare poſſum. Alia reſponſio mihi magìs arridet (& vobis, non dubito, Auditores, ſimulac illam indicavero:) nimirum concedendum prorſus eſt Chriſtum *hanc ipſiſſimam* ſententiam ſeu aphoriſmum, dum inter vivos ſupereſſet, protuliſſe, nam obſervatu non indignum

dignum eſt haud ſolùm quæ hìc ab Apoſtolo citantur, *verba Domini Jeſu* dici, ſed & illud præterea adjici, *quoniam ipſe dixit*; ut inde certiores, imò certiſſimi facti ſimus Servatorem noſtrum hoc ipſum Axioma, ſeu potiùs hoc aureolum & bracteatum dictum, cùm in terris degeret, pronuntiaſſe. Et ſanè plurima id genus Domini noſtri dicta non minùs quàm facta, memoriâ retinebant Apoſtoli, maximo ea in pretio habentes, & auro quovis contrà non cara æſtimantes, etiamſi non ſcriptis Evangelicis exarata inveniantur, ut fatetur S. Johannes cap. 20. v. 30, & rurſus cap. 21. v. 25. Pro certo igitur habendum eſt *Jeſum* hæc verba, *Beatius eſt dare*, &c. ore ſuo tradidiſſe; atque hunc ipſum Aphoriſmum fuiſſe *inter illa quæ Paulus didicerat non ex ſcripto, ſed relatu eorum qui Dominum noverant*, ut rectè definivit Conſummatiſſimus *Grotius* in locum. Quocirca impoſſibile eſt ex ſupra citato textu elicere, aliquam ſententiam, nedum librum ex Sacro Canone

none periiſſe. Pluribus non opus eſt in re clariſſimâ.

Alium ſcrupulum ſuppeditare videtur Epiſtolæ Apoſtoli *Judæ* comma decimum quartum, *Prophetavit de his Enoch, dicens, Ecce venit Dominus,* & quæ ſequuntur. Sed ubinam gentium extat illa *Enochi* prophetia? Reſpondet doctiſſimus *Druſius*, † *Liber Enochi, unde ſumptum hoc teſtimonium, intercidit cum aliis multis libris Prophetarum:* & quaſi irato vultu & ſtomacho in contrarium ſentientes debacchari videtur, *neque audiemus eos,* inquit, *qui contra diſputant: Inſipientia eſt.* Etiamſi non diffitendum eſt doctiſſimum illum virum publicè profiteri, * *Nullos libros Canonicos periiſſe, ſed tantùm Apocryphos.* Et talis profectò erat *Enochi* Prophetia: nam potuit S. *Judas*, ſi ita illi placuerat, Scriptorem Apocryphum & Suppoſititium in medium afferre, ſicut Apoſtolus *Paulus* Ethnicos Autores citatione dignatus eſt. Atque hoc eſt

† Not. in Epiſt. *Jud.*

* In *Henoch.* c. 20.

eſt quod agnoſcit omnifariæ eruditionis Vir, & S. Patrum (præſiſcinè dico) longè doctiſſimus, † *Multa* (ait) *ab Apoſtolis & Evangeliſtis prolata ſunt in Novo Teſtamento quæ in libris quos vocamus Canonicos nuſquam legimus, in Apocryphis verò inveniuntur.* Verùm, hæc, licèt veriſſima fuiſſent, non videntur rem attingere: quare hoc potiùs (quod S. *Hieronymi* & præfati Patris pace dictum velim) reſponſum eſto, Citatur hìc Enoch non ut *Scriptor* (neque enim forſan quicquam ſcriptis commiſit, imò forte nè Scriptio ipſa tunc temporis inventa fuit) ſed ut *Propheta* tantùm, adeóque nulla fit mentio *libri* ſeu *ſcripti* ejus: unde palàm eſt neutiquam ex hoc textu inferri poſſe librum ſeu ſcriptum aliquod periiſſe. Hoc tantùm de *Enocho* ab Apoſtolo narratur, *Prophetavit dicens:* non adjicitur, dicta ſua prophetica ſcriptis ſe mandaſſe. Verùm fieri potuit ut hæc dicta Traditione per continuas ætatum ſucceſſiones ad *Judæos* tranſmiſſa fuerint, atque inde in ea hanc ſuam Epiſtolam aſſumſit S. *Judas.*

† *Origen.* Præfat. in Cant. Cánticor.

Neque

Neque id ſanè movere nos debet quòd *liber Enochi* ab aliquot Scriptorum Veterum commemoratur, ſat enim notum eſt (ut ex plurimis † Scriptoribus liquet) non paucos tunc temporis Autores ſpurios & adulterinos, ſaltem Apocryphos, & nullius fere autoritatis, extitiſſe: cujus ſcilicet farinæ iſtum fuiſſe ſub *Enochi* nomine libellum teſtantur *Athenagoras*, *Irenæus*, *Clemens Alexandrinus*, *Origenes*, *Auguſtinus*, *Hieronymus*, & omnes fere Eccleſiæ Patres, unico dempto * *Tertulliano*, ut Doctor ille ‡ *Sorbonicus*, in Veterum monumentis minimè hoſpes, poſt aliquot viros eruditiſſimos nuperrimè obſervavit. Mireris adeò quàm leviſſimâ, ſeu potiùs nullâ de causâ *quanti hunc librum Enochi antiquiſſimi Patres æſtimarant* meminerit * Vir Doctus, alienorum cenſor & judex acutiſſimus.

† *Hieronymo* de Script. Eccleſ. *Riveto* in Crit. Sacr. *Dallæo* de uſu Patr. *Gul. Cave* Hiſt. Liter. *Du Pin* Nova Hiſt. Eccleſ.

* De Hab. mul. c. 3. de cultu fœmin. c. 10.

‡ *Du Pin.*

* *G. Spencer.* Annot. in lib. 5. *Origen.* cont. *Celſ.*

Deſideratur *tertia Epiſtola*, ordine verò prima, ad *Corinthios*, ſi fides *Bellarmino* ſit adhibenda. Atque eundem errorem *Druſius* & *Grotius* errarunt in Annotationibus ſuis

ſuis ad primam Epiſtolam ad *Corinthios*, cap. 5. v. 9. ubi hæc verba habentur, *Scripſi vobis in Epiſtolâ, nè commiſceamini fornicariis.* Erat nempe hæc prior quædam Epiſtola, quâ hoc monitum ſcripſit Apoſtolus: ergò Epiſtola una interiit, nam hodie duas tantùm habemus. Quin & *Epiſcopium* hìc non nihil dormitaſſe quis non videt, cùm * *nullus dubitat non tantùm duas quæ hodie extant, nec tres tantùm, ſed & complures alias Epiſtolas ad Corinthios ſcriptas eſſe ab Apoſtolo*, quas periiſſe cenſet? quamvis Vir Ingenuus prædictum Apoſtoli locum iſtoc modo ſolvere recuſat in *Reſponſione ſuâ ad Quæſtionem Theologicam ſecundam:* quaſi jam tandem *dubitaret* an Vero conſentaneum eſſet quod dixerat. Ad Objectionem igitur quod attinet, facilis eſt Reſponſio; nec aptior aut verior aſſignari poterit quàm illa S. *Chryſoſtomi*, & fidi ejus imitatoris *Theophylacti*. Cùm hìc dicat, aiunt, S. Paulus ſe Corinthiis *ſcripſiſſe in Epiſtolâ*, hanc ipſam primam vult, quam tunc ad ipſos ſcripturus erat. Non enim

* Reſponſ. ad Dilem. Pontif.

ait Apoſtolus, *Scripſi vobis antea in priore meâ epiſtolâ*, ſed ſimpliciter & nudè, *Scripſi in epiſtolâ*, i. e. in hâc ipsâ.

* *Jo. Clericus*, in Adnotationibus in locum.

At hìc inſurgit * Scriptor haud obſcurus (imò ſanè illuſtris ſi non partium ſtudio tantopere abriperetur, & in *Unitariorum* gratiam ſacram ubique paginam miſerè depravaſſet) qui acriter urget hìc Apoſtolum *loqui de aliâ quâdam epiſtolâ:* & adversùs partem oppoſitam triplici ſe munit Argumentorum genere: quæ quidem ſeorſim & ſingulatim expendere non gravabor.

Primò ait, *Nuſquam in ſuperioribus Paulus monuit Corinthios non oportere* συναναμίγνυσθαι πόρνοις *miſceri ſcortatoribus:* & inde colligit non hanc, ſed aliam Epiſtolam hìc intelligi. Cui reſpondeo, non tantùm in ſuperioribus, ſed in ſequentibus Apoſtolum de iſtâ re *Corinthios* monuiſſe: quod equidem miror ab hoc Scriptore tam naſuto non obſervatum fuiſſe. Palàm eſt hìc reſpici ad

ad priorem hujus capitis partem, præſertim ad verſum ſecundum, ubi S. Paulus Corinthios ſuos hortatur *ut tolleretur de medio eorum qui hoc opus fecit*, quod perinde eſt ac ſi dixiſſet, *nè commiſceantur inceſtûs & fornicationis reis*. Clarum etiam eſt hìc ab Apoſtolo referri ad ea quæ *poſtea* in hoc ipſo epiſtolio ſcribit, videlicet capite 6°, verſibus 13 & 18: & capite 7°, commate 2°; quibus in locis monet Apoſtolus de *fornicatione fugiendâ*, de *ſcortatorum conſortio vitando*, & hunc in finem Argumenta & Media adhibet efficaciſſima. Quapropter veriſimile eſt, poſtquam Apoſtolus hanc Epiſtolam finierat, & deinde perlegerat finitam, viſum illi fuiſſe hoc in loco, ſcilicet cap. 5°, v. 9° iſta verba inſerere & interponere, *Scripſi vobis in epiſtolâ nè commiſceamini fornicariis*, hoc ſcripſi in hâc nimirum epiſtolâ, ut mox videbitis in nonnullis quæ ſubſequuntur. Ergo perſpicuum eſt hanc ipſam primam, quam jam nunc ſcribit Epiſtolam, intellexiſſe hìc Apoſtolum, cùm ait, *Scripſi in*

epiſtolâ. Nec minùs perſpicuum eſt quæcunque in contrarium attulit *Adnotator*, nullius eſſe ponderis; hunc enim locum, ut plures alios, violentâ interpretatione detorſit: quod niſi feciſſet, nihil profectò erat quod ad hunc Textum adversùs D. *Hammondum* notaret.

Secundò, ſic proximum Argumentum inſtruit *J. Clericus*, *Verſus undecimus qui incipit* à *particulâ* Νυνὶ *nunc*, *ſatis oſtendit in eo Paulum loqui de hâc epiſtolâ*, *verſu verò nono de aliâ. Scripſi vobis in epiſtolâ*, *nè* &c. *Nunc autem ſcripſi vobis*, &c. Ergo *clara eſt inter hæc oppoſitio.* Hæc ille. Cui ſic reponitur, non dubitandum eſt quin verſiculus ille undecimus ſit tantùm noni præcedentis Repetitio ſeu Reſumptio. Νυνὶ δὲ, inquit Apoſtolus, ἔγραψα ὑμῖν μὴ συναναμίγνυσθαι, ſcil. πόρνοις: quod, ſi quid judicem, per 1 Gal. 9. *Sicut prædiximus*, *& nunc iterum dico*, commodè exponi & illuſtrari poteſt. Scripſi, & nunc iterum ſcribo, ait Apoſtolus: quod de ſcortatoribus ſuperiùs ſcripſi, hìc jam repeto, atque

atque itidem explico. Hanc eſſe ſimplicem & genuinam Apoſtoli mentem ex ipſo loco conſtat, ubi quod verſu priori dixerat, clariùs interpretatur, nimirum inter ſcortatores Ethnicos & Chriſtianos manifeſtum diſcrimen faciens.

At inquies, cùm dicitur in hoc verſu undecimo νυνὶ δὲ ἐγράφα, particula illa δὲ *autem* ſeu *verùm* Oppoſitionem aliquam denotat: quaſi quæ hìc dicuntur, illis quæ Apoſtolus modò tradiderat v. 9. opponerentur. At facilè diluitur hic ſcrupulus, nam vim *adverſativam* non habet particula δὲ hoc in loco, ſed eſt planè *exegetica:* cujuſmodi locutionis non pauca exempla in Novo Teſtamento, ſicut & in aliis Scriptoribus bene Græcis reperire eſt. Puto δὲ hìc rectè Latinè verti *utique, ſcilicet:* id enim exigit Apoſtoli ſcopus, & in eo ſignificatu non rarò ſumitur vox illa, ut notavit Græcæ linguæ callentiſſimus * *Budæus.* Atque eo ſenſu paſſim uſurpari nullis non notum eſt qui ſedulam Criticis operam dederunt. Quapropter id auſim affirmare,

* Commentar. Ling. Græc. p. 1300.

voculas haſce νυνὶ δὲ non ad aliquod oppoſitum, ſed ad id tantùm quod præceſſit verſu. nono referri, atque ἐξηγητικῶς de illo intelligi debere. Nam in hoc ℣. 11° Apoſtolus redit ad id quod dicere cœperat commate illo nono: & quod ibi breviùs & generaliùs, hìc diffuſiùs & explicatiùs loquitur. Perſiſtit in ſermone inchoato, quò minùs falli poſſent Corinthii: & nè quis eorum ſuprà dictum pravè intepretaretur, id hìc jam repetit, more ſuo. Non ſatìs habuit id ſemel dicere, *Nè commiſceamini ſcortatoribus*, ſed & recitat egregiam monitionem, eámque claritatis causâ explicat, hoc eſt, oſtendit quales ſcortatores, & quale cum illis commercium intelligit. Sic priora & poſteriora inter ſe optimè cohærent; nec ſanè divelli debuerant: atque ideo inter hæc duo commata nulla eſt *Oppoſitio*, quam tamen fingit *Adnotator*. Hinc ſole meridiano lucidius fit, fruſtra hìc in eo muſtaceo laureolam quæritare Criticum noſtrum: nam νυνὶ δὲ non ſunt *Oppoſitionis*, ſed *Repetitionis* vocabula. Summatim

matim ut dicam, operam hìc ludit vir doctus, & vehementer fallitur cùm *Antitheſin* ſomniat inter verſum nonum & undecimum.

Præterea, id apprimè notandum reor (quod & ſcrupulum præſentem amovebit) verbum ἔγραψα in utroque commate reperiri: quod luculentiſſimè oſtendit nullam eſſe inter loca illa antitheſin, verùm ad idem Tempus ea ſpectare. Ad quod minimè advertens *Criticus* noſter, ſibi facilè perſuaſit ἔγραψα in verſu nono, cùm ſit verbum in *Aoriſto*, ad Epiſtolam quandam *priùs* ab Apoſtolo ſcriptam referri debere. At hìc miſerè cæcutivit *arti Criticæ* tam aſſuetus homo: nam ſecundùm Grammaticos (quos adeò crepat) vim habet *Aoriſtus* non tantùm præteriti, ſed jam pendentis temporis. Imò *ſunt* ἀόριστοι *pro præſenti aut quovis tempore*, fatente Grotio, Annot. in Epiſt. Jacobi cap. 1. ℣. 11. & cap. 2. ℣. 6. Huic convenienter ἔγραψα hìc pro γράφω, *Aoriſtus* pro præſenti (uti mos eſt apud Prophanos æquè ac Sacros Scriptores) ab Apoſtolo uſurpatur.

Hoc extra omne dubium collocabitur, ſi hujuſce Epiſtolæ caput nonum, & comma decimum quintum conſulamus: οὐκ ἔγραψα δὲ, &c. *Non autem ſcripſi hæc, ut ita fiant in me*, ait Apoſtolus, hoc eſt, non ideo *ſcribo* hæc *hoc tempore*, in *hâc* nimirum Epiſtolâ quam ad vos jam miſſurus ſum, ut mihi præſtentur quæ aliis. Similis eſt locutio in ſecundâ Epiſtolâ ad Corinthios, cap. 2. ℣. 3. ἔγραψα ὑμῖν, ſcilicet *in hâc epiſtolâ*, ut notat Cl. Grotius. Idem planè loquendi modus occurrit primâ Epiſtolâ S. Johannis, capite ſecundo, commate decimo quarto, ubi ἔγραψα ὑμῖν, idem prorſus ſonat quod γράφω ὑμῖν, verſibus 12 & 13. Sic in loco qui jam præ manibus eſt ἔγραψα ὑμῖν ἐν τῇ ἐπιστολῇ idem planè eſt cum γράφω ὑμῖν ἐν τῇ ἐπιστολῇ. Unde patet nullam eſſe *oppoſitionem*, nedum *claram* inter ἔγραψα ὑμῖν, ℣. 9. & νυνὶ ἔγραψα ὑμῖν, ℣. 11. Quod ſi cogitaſſet *Clericus* noſter, & quàm ſtylo Paulino ad amuſſim conveniat, aliam hujuſce loci interpretationem in lucem emiſiſſe omnino exiſtimo. At jam videre licet virum hunc, qui

aliàs

aliàs ſacrum textum corrumpere, & per fidiculas torquere ſolet, quò meliùs commenta ſua *Socinina* (quæ adeo deperit) tueretur, nunc gratis & immeritò illud facere. Id demùm videre eſt poſſe à vero aberrare ſcriptorem qui in ſcriptis *Hammondianis* avidiùs juſto nunquam non Errores venatur: poſſe in Criticâ arte non parum ceſpitare qui *Hammondum* illius artis prorſus ignarum eſſe ſæpiſſime vociferatur.

Tertiò, ſic argumentatur Vir Criticus, *Si hanc epiſtolam intellexiſſet Paulus, non dixiſſet* ὡ τῇ ἐπιστολῇ, *ſed vel omnino omiſiſſet, vel dixiſſet,* ὡ ταύτῃ τῇ ἐπιστολῇ. Adjicit præterea, Interpretes qui de hâc ipsâ epiſtolâ locum intelligunt, id facere *contra omnes Grammaticas leges.* At ſibi reſpondet *artis Criticæ* magiſter, dum ultro & ſæpe fatetur in *Annotationibus* ſuis *nullam Grammaticarum legum rationem habuiſſe Scriptores Sacros.* Quocirca, etſi ad leges iſtas non adaptarentur hæc Apoſtolica verba ὡ τῇ ἐπιστολῇ, hoc tamen non impedit quo minùs iſthæc de eâdem Epiſtolâ intelligamus.

Porrò, hoc ex eo colligere eſt quòd in aliis hujuſce Apoſtoli Epiſtolis hæc locutio ἡ ἐπιστολὴ idem valet ac αὕτη ἡ ἐπιστολὴ. Optimus ſui interpres eſt S. Paulus in 4 Col. 16. ὅταν ἀναγνωσθῇ παρ' ὑμῖν ἡ ἐπιστολὴ, i. e. hæc epiſtola. Unde ad locum ſic adnotavit *Hugo Magnus*, ἡ pro αὕτη: ſic τὸ χαρίσμασθε pro χαρίσμασθε ταῦτα 11 Rom. 29. Hoc etiam apertè liquet ex 1 Theſſ. 5. 27. —— ἀναγνωσθῆναι τῶν ἐπιστολῶν, h. e. hanc epiſtolam. Itaque hìc doctiſſimus idem *Grotius* ad priorem locum Lectorem remittit. Nec diffitetur *Clericus* ipſe hanc quandoq; hujus Articuli vim eſſe; unde palàm fit nec Apoſtolo nec ſibi conſtare hunc Interpretem. Sanè nihil frequentius eſt apud Scriptores Græcos, quàm hunc articulum in Pronominis iſtius locum ſubſtituere. Apud Optimos quoſvis Autores hæc non rara ſunt: ut cuivis notum eſt in *Criticis* non planè hoſpiti. Jure ergo mireris ſic falli Magnum Critices (ut ſe venditat) Oraculum, dum ſermonem hìc Paulinum *contra leges Grammaticas*, imò contra *omnes* peccare audaculus affirmat;

affirmat; quod nemo, arbitror, Grammaticorum vel Criticorum ſobrius dixiſſet. Tandem ex hiſce omnibus ſimul penſitatis colligere licet acutiſſimum hunc virum *infeliciſſimum* (quod de D. *Hammondo* ipſe ait) *ſe Criticum præbuiſſe*, & caſtigatione maximè dignum.

Neque hìc ſiſtit *Adnotator* pertinax: non ſolùm enim ſtatuit quædam ex Scriptis Apoſtolicis periiſſe, ſed & inſuper audentiùs addit, oportere aliquot perire. *Nulla eſt*, inquit, *ratio ſat firma, quæ perſuadere queat omnia omnino Apoſtolorum ſcripta debuiſſe ſervari.* At, bone vir, ſi ſervari non debuiſſent, certè non digna fuere quæ ſervarentur: quod nemo, puto, præter teipſum, aſſeruiſſet. Imò hâc in re ſibi nimìs placens Scriptor Anti-Hammondianus argumentationes quales quales & ratiunculas in ſententiæ ſuæ defenſionem obtendit; quarum hæc præcipua eſt, ſc. *ejuſmodi fuiſſe epiſtolas Apoſtolicas quas occultari intererat Eccleſiarum, aut hominum ejus ævi.* Etiam de hâc

ipsâ

ipsâ epiſtolâ, de quâ jam lis eſt, aſſeverare non erubeſcit, *potuiſſe eſſe rationes, quibus de rationibus* (non hìc jam moror *odioſam verborum geminationem* ſeu *tautologiam*, quam toties objicit Cl. *Hammondo*, * qui *nunquam proprietatis vocum in ſcribendo curam ullam habuit*) *ea epiſtola occultari debuerat, aut forte etiam poſtquam lecta fuerit, concerpi, vel comburi juſſu ipſius Apoſtoli qui eam ſcripſerat*. Ecce hominem! qui fingit Epiſtolarum ſuarum, Apoſtolum & Chriſtianos ad quas ſcriptæ ſunt, puduiſſe: qui fingit divinitus edoctum Scriptorem flammas commerentia exaraſſe. Quo nihil potuit ineptius proferri, imò nihil à religione & pietate magìs alienum. At inſtat *arcana eſſe quæ non neceſſe eſt omnibus innoteſcere*, ergo oportet Epiſtolas quaſdam occultari, etiam & penitus aboleri. Hìc jam ſe prodit Unitariorum fautor acerrimus: nè ſcilicet *arcana* & *myſteria* in Religione *Chriſtianâ* hominibus, quantum fieri poteſt, innoteſcerent, *concerpendas* illico & *comburendas* epiſtolas nonnullas clamat. At quis

* *Cleric.* Adnotat. in 4 Eph. 14.

quis ferat ejuſmodi *Adnotatorem*, qui, ut antea ſe *mediocrem Grammaticum* (quo titulo Cl. *Hammondum* conſpurcare ſolet) ſic hoc in negotio Theologum minimè Chriſtianum ſe præſtitit? Atque hæc ſunt, Academici, quæ obſtant quo minùs hujus Autoris de hoc loco ſententiæ adſtipularer, qui Apoſtolum hìc de Epiſtolâ quæ jamdudum periit loqui vult. Hæc pluribus perſequi non difficile eſſet; verùm hoc in Cœtu ſumma Reſponſionis capita & faſtigia attigiſſe ſatìs duxeram, & rem totam Doctorum judicio ſubjicere, qui exploratâ causâ damnabunt, ni fallor, figmentum illud de *Tertiâ* (ſi placet) ad *Corinthios Epiſtolâ*, quam nunc deſiderari quidam nugantur.

Denique, à quibuſdam non infimi ſubſellii Scriptoribus allegari ſolet iſte ad Coloſſenſes locus, cap. 4°, commate decimo ſexto, *Cùm lecta fuerit apud vos epiſtola hæc, facite ut ea quæ Laodicenſium eſt, vobis legatur.* Unde conſtat, inquiunt, Epiſtolam quandam ad *Laodi-*

Laodicenses scripsisse Apostolum; sed in Canone hodie non eam habemus, ergo Canonis pars periit. Sed responsio nostra ita se habet; primò, non inficior etiamnum extare talem Epistolam quæ præ se fert hujus Apostoli nomen. Hanc legere est in Jacobi Fabri Stapulensis Commentariis, ubi illam reliquis Epistolis Paulinis admiscuit: sed plurimorum eorumque doctissimorum suffragio damnatur, & pro falsâ & adulterinâ habetur. Πεπλασμένη ἐπιστολὴ *fictam* & *commentitiam* appellat Theodoretus in locum. *Legunt quidam & ad Laodicenses epistolam, sed ab omnibus explodi-*
* De Scriptoribus Ecclesiast. *tur*, ait S. * Hieronymus. Cui sociétur Erasmus divino ingenio præditus, & Scriptorum Ecclesiasticorum judex solertissimus, "*Nullum*, "inquit, *argumentum efficaciùs per-*
"*suaserit eam non esse Pauli, quàm*
"*ipsa Epistola. Nihil habet Pauli*
"*præter voculas aliquot ex cæteris*
"*ejus epistolis mendicatas. Non est*
"*cujusvis hominis Paulinum pe-*
"*ctus effingere; tonat, fulgurat,*
"*meras flammas loquitur Paulus.*
"*At*

"*At hæc, præterquam quòd breviſ-*
"*ſima eſt, quàm friget, quàm jacet!*
Ita ille in locum.

Secundò, Apoſtolus non de Epiſtolâ ad *Laodicenſes*, ſed à *Laodicenſibus* verba facit, ſiquidem ἐκ Λαοδικείας aliter interpretari à Grammaticâ conſtructione abſonum & alienum eſſet. Quapropter ſubit mirari cùm video quæ ad hunc locum annotavit Clariſſimus Dominus Knatchbull, vir ſanè nunquam ſatis laudatus, & inter Scriptores Criticos, eóſque primi ordinis, non immeritò numerandus: verùm neſcio quo fato, Grammaticæ & Criticæ artis oblitus, iſta verba ἐκ Λαοδικείας ad Epiſtolam neſcio quam à S. Paulo ad Laodicenſes ſcriptam refert, & perditam eſſe conclamat. At priùs erudito illi viro probandum eſſet ἐκ Λαοδικείας idem eſſe cum πρὸς Λαοδικέαν, ſeu πρὸς Λαοδικεῖς: quod quidem fruſtra aggreditur Vir Celebris, & multa congerit Critico ſuo genio parum digna.

Tertiò,

Tertiò, ſi quæras quænam ſit hæc Epiſtola à *Laodicæâ* ſcripta ab Apoſtolo, perſuaſiſſimum habeo eſſe, vel priorem ad *Timotheum*, cujus Subſcriptio eſt ἐγεγράφη ἀπὸ Λαοδικείας, vel Epiſtolam ad *Epheſios*: Erat enim Laodicenſis Eccleſia intra pomœria, & ſub juriſdictione Eccleſiæ Epheſinæ; unde non ſine idoneâ ratione epiſtolam ad *Epheſios* dixeris etiam ad *Laodicenſes* miſſam fuiſſe. Quid hoc verò, inquies, ad epiſtolam ἐκ Λαοδικείας, à *Laodicæâ?* Id liquebit ex Apoſtoli mente, quæ in loco illo ſupra prolato hæc eſt, eáque ſimpliciſſima, Cùm lecta fuerit apud vos Coloſſenſes epiſtola hæc, quam nunc ad vos mitto, facite ut ea quæ à Laodicæâ eſt, hoc eſt, epiſtola quam Epheſiis, ac proinde Laodicenſibus ſcripſi, publicè in Eccleſiis veſtris legatur. *A Laodicæâ* dico illam eſſe, quia Laodicenſes eam vobiſcum amicè communicarunt.

Faceſſant hinc itaque qui aliam ad Laodicenſes, aut à Laodicæâ epiſtolam fingunt, quámque in Cano-

Canonem non admiſſam eſſe conqueruntur, ac inde imperfectum eſſe S. Scripturæ volumen pertendunt. Sed fruſtra ſunt iſti viri, dum Falſariorum partes agunt, vel fovent. Epiſtolam ad Laodicenſes, à cæteris epiſtolis Canonicis diſtinctam, ex ſuo ingenio comminiſcuntur, & tunc de ejus amiſſione, ſive rejectione potiùs à S. Canone queritantur.

Atque ſic tandem ſingula ſcripta ſeu libros ſacros, quos amiſſos exiſtimant eruditi quidam viri paratim & ſeorſim perluſtrata omnes Adverſariorum objectiones & ſcrupulos undicunque corraſos minutim penſitavi.

Fixum ideo manet librorum Canonicorum volumen, integrum & illibatum, omnibúſque numeris abſolutum. Veteris Teſtamenti Canon à viris divinitus edoctis, ſc. Ezrâ & reliquis Synagogæ Magnæ antiſtitibus, unà cum prophetis illis celeberrimis Haggæo, Zachariâ, Malachiâ conſtitutus fuit. Sicut

& novimus Novi Testamenti Canonem à Catholicâ Christi Ecclesiâ, sepositio partium studio, stabilitum fuisse; adeò ut nemini nunc liceat libris Canonicis pro arbirrio suo adjicere aut substrahere. Vix igitur oculis meis credidi cùm ista nos doceri legerem à Viro docto, in libro nuper in lucem emisso, * *Canon Scripturæ non constat certo quodam librorum numero in unum volumen collectorum, sed sensibus divinis & ad salutem necessariis, libris illis comprehen[illegible] è vestigio evanesc[illegible] quàm *Canon*, n[illegible] Scriptura non est si non scriptis literis & libris consignatur: nec *Canon* dici potest ni certus & determinatus sit librorum numerus. Quid ergo tibi vis, *Limborche*, cùm Scripturam sine Literis, & Canonem sine certâ regulâ somnias? Et præterea, quis dixerit S. Scripturæ Canonem *Sensibus* duntaxat constare, non libris, qui *Sensus* contin[illegible]t, [illegible] Biblia eo nomine vaga & incerta reddere velit? Nec minùs cautè addit, *Licèt itaque deessent aliqui libri, imò etiam ex illis qui*

* *Limborch* Theolog. Chr. l. 1. c. 5.

qui nunc ſuperſunt, integrum tamen haberemus Scripturæ Canonem, quia omnes ſenſus ad ſalutem neceſſarios in libris ſuperſtitibus (quos tamen deeſſe ſupponit) *haberemus expreſſos.* Siccine tyrones inſtituis? Itane diſcipulos tuos (& Epiſcopii) inſtruis, Theologe *Amſtelodamenſis?* Quaſi Scripturæ Canon, etiamſi ex omnibus ſuis partibus non conſtaret (adeóque non integer ſit) nihilominus *integer* dici poſſet & deberet. Certè in tuo quem fingis Canone Scripturarum tantùm ſcriptio & literæ [illegible] derantur.

Sed (ut iſta prætermittam, & quæ habet D. *Dodwellus* in nuperâ *Diſſertatione, primâ* ſcil. *in Irenæum*, ubi (ſi quid ipſe viderim) Scripturæ Canonem, veluti incertum, dubium, fluxum & precarium, vili æſtimat) non dubitandum eſt quin in manibus habemus ipſos quos a Majoribus accepimus libros ſacros, per multas retro annorum Centurias ad nos perductos. Non dubitandum eſt quin eos ſalvos & intactos, plenos

nos

nos & perfectos hodie retineamus. Ea erat Ecclesiæ Judaicæ cura & fidelitas ut * *Scriniaria Christianorum, bajulans Leges & Prophetas,* sancto Patri Augustino diceretur. Maximè autem fidelis custos & conservatrix Providentia, Ecclesiæ saluti prospiciens, nullâ depopulalatione aut captivitate, nullâ quamvìs diutissimâ annorum serie, & temporum voracitate abolendos illos libros, aut illis nos spoliandos & orbandos sivit, sed nullam fidelissimè conservavit & custodivit. Unde concludere fas est, Nullos omnino libros in Canonem relatos, aut ad eum pertinentes, vel ab Ecclesiâ receptos periisse, ant minimâ ex parte truncatos aut decurtatos fuisse.

* Contra Faust. l. 2. 12. cap. 23.

FINIS.

TRINITY COLLEGE LIBRARY CAMBRIDGE